3. 4. 522

Digitized by Google

Digitized by Google

DELECTUS

OPUSCULORUM

MEDICORUM

ANTEHAC IN

GERMANIAE DIVERSIS ACADEMIIS

EDITORUM,

QUAE

In Auditorum commodum collegit, & cum notis hinc inde aucta recudi curavit

JOANNES PETRUS FRANK M. D.

Facultatis Medicae per Inſubriam Austr., & Nosocomii Ticinensis Director, Medicinae Clinicae in Reg. Acad. Ticinensi Prof. p. & o. Academ. Scient. Reg. Goetting., & Electoralis Moguntinae, tum Societatis Patriot. Mediolan. Sodalis.

VOL. V.

TICINI

IN TYPOGRAPHEO PETRI GALEATII
PRAESID. REI LITTER. PERMITT.
ANNO MDCCLXXXVIII.

ELENCHUS.

I.) *Ern. Chr.* NOLTE, *Diſſertatio de Febre puerperarum.* pag. 1--69

II.) *Ioh.* DANILEVSKY, *de Magiſtratu, Medico feliciſſimo.* 70--120

III.) *I. S. Gottl.* HAASII, *Diſſertatio de abſceſſu Hepatis.* 121--168

IV.) *Franciſci* SCHOENMEZEL, *Obſervatio de Muſculis Pſoa & Iliaco ſuppuratis.* 169--178

V.) *Ioh. Petr.* FRANK, *Obſervationes quaedam Medico-Chirurgicae.* 179--220

VI.) *Aug. Frid.* WALTHER, *Diſſertatio de Scarificatione Occipitis, morb. capit. auxilio.* 221--260

VII.) *Inh. Alb.* GOTTEL, *Diſſertatio de Febris lentae nervoſae natura.* 261--303

VIII.) *Ioh. Petr.* FRANK, *Diſcurſus Academicus de Rachitide acuta & Adultorum.* 304--318

IX.) *Iuſt.* ARNEMANN, *Commentatio de Aphthis.* 319--376

ERNESTI CHRISTIANI NOLTE

SETTMERSHUSA-HANNOVERANI

DISSERTATIO

DE

FEBRE PUERPERARUM

Goetting. 1785.

§. I.

Introitus.

ETiamſi puerperae, ut reliquae mulieres, permultis, & nonnumquam gravioribus morbis varii generis, ſint obnoxiae: attamen nullus illorum tantum ſecum fert periculi, atque haud raro paullulum poſt illorum acceſſum mortem iam inducere poteſt, ac ille ſub peculiari nomine *febris puerperarum* notus; & eam quidem ob cauſſam, quia haec febris tam rapide & violenter aegrotas afficit, & ob ſymptomatum ſaevitiem corpus aegrotae, puerperii tempore plerumque valde debilitatum, tam ſubito & inſidioſe infeſtat, ut rariſſime, ni cito illis auxilium feratur,

Digitized by Google

vires puerperae ſufficiant, ad debellandam morbi vehementiam, & ſummum vitae periculum avertendum.

§. II.

Synonima.

Primus, qui morbum huncce peculiari denominatione deſcripſit, eſt Anglorum quidam, EDUARD STROTHER, in opere, Londini, a. 1718. edito, cui titulus: „ Criticon febrium, „ or a critical eſſay on fevers. " – The puerperal fever. – Novam vero non eſſe huiuſmodi febrem, nec veteribus praetervisam, facile intelligitur ex antiquiſſimorum ſcriptorum monumentis, qui accuratam illius deſcriptionem nobis tradidere, denominatione autem peculiari non uſi ſunt.

HIPPOCRATES (*a*) variis locis febrem acutam puerperis pernicioſiſſimam deſcribit, accurate ſymptomata & decurſum illius recenſendo, ut nemo adhuc dubitare poſſit, quin ſit ille, a nuperioribus, febris puerperarum, denominatus febrilis puerperarum morbus.

(*a*) Epidem. L. I. Sect. III. aegr. IV. V. XI. L. III. Sect. II. aegr. X. XI. XII. Sect. III. aegr. II. XIV. Edit. Charter. P. IX.

SENNERTUS (*a*) quoque deſcriptionem febrium puerperarum acutarum tradidit, quae e duabus cauſſis ortum ſuum trahunt, vel ex ſuppreſſione ſeu imminutione lochiorum, vel ex humorum vitioſo apparatu, tempore geſtationis accumulato, ac in partu agitato.

Febris putrida puerperis ſuperveniens ex bilioſo humorum apparatu, vel ex diaetae erroribus, RIVERIUS (*b*).

Febris putrida ſeu potius maligna puerperarum, WILLIS (*c*).

Febris lactea maligna puerperarum, LE ROY (*d*).

Febris putrida puerperarum, RAYM. IO. FORTIS (*e*).

Febris a partu, tam humoralis, quam nervoſa, RAULIN (*f*).

Febris miliaris complicata ſeu putrida maligna, GASTELLIER (*g*).

(*a*) Opera omnia Lugd. *1676.* fol Vol. IV. L. IV. P. II. Sect. VII. Cap. XI.
(*b*) Opera omnia Lugd. *1663.* fol. Prax. med. L. XV. Cap. XXIV.
(*c*) Opera Genev. 1776. 4. De febrib. C. XVI. p. 76.
(*d*) Mèlanges de Phyſiq. & Medec. Premier memoire, ſur les fievr. aiguës p. 198.
(*e*) De febribus & morb. Mulier. p. 484.
(*f*) Traité de malad. des femm. en couche Sect. III. Chap. X. p. 219.
(*g*) Traité de la fievre miliaire des femm. en couche p. *6.*

The lochial fever. TH. COOPER (*a*).

The Weed in Scotia nominatur haec febris. WHITE (*b*).

Recentiorum temporum ſcriptores illi nomen febris puerperarum dant, e. g WHITE l. c. LEAKE (*c*), BUTTER, (*d*) DENMANN, (*e*), HUNTER (*f*), HULME (*g*), MANNING (*h*), MILLAR, (*i*) KIRKLAND (*k*), aliique, quorum in progreſſu huius tractationis mentionem faciam.

Angl, puerperal fever, or Childbed-fever.
Lat. Febris puerperarum ſ. puerperalis.
Germ. Kindbetterinnen-Fieber. Wochen-Fieber.

(*a*) Compend. of Midvvifery. Lond. 1766.
(*b*) Treatiſe on the management of pregnant and lying-in Women. Lond. 1777. p. 1. not.
(*c*) Practic. obſervat. on Childbed-fever. Lond. 1772.
(*d*) Account of the puerperal fever. Lond. 1775.
(*e*) Eſſay on the puerperal fever. Lond. 1768.
(*f*) Commentaries of Edinburg. Vol. III. p. 324.
(*g*) Treatiſe on the puerperal fever.
(*h*) Treat. on female diſeaſes Lond. 1775. p. 360.
(*i*) On the prevailing diſord. in Great-Britain Lond. 1770. p. 330.
(*k*) Treatiſe on Childbed-fevers. Lond. 1774.

Digitized by Google

§. III.

Morbi Symptomatologia.

Praemiſſis his, iam ad ſpecialem accuratamque morbi ipſius deſcriptionem tranſibo, & quidem praecipue ſymptomata illius enumerando.

Plerumque veſpere ſecundi, vel mane tertii a partu diei puerperae ſubito vehementi horrore, variae durationis corripiuntur. Quandoque id citius incidit, quandoque ſerius, interdum, raro autem, iam ante partum, aut in ipſo partu (*a*), nonnumquam etiam quinto vel ſexto a partu die, quin imo adhuc in quodam alterius a partu ſeptimanae die (*).

(*a*) GASTELLIER l. c. Obſerv. III. VI.

(*) Ubi vehementiſſime affligit haec febris, tunc in primis etiam 24. horis a ſuo principio, lethum aliquando induxit. (THOMPSON, *Medical Conſultations*). Secunda die puerperam ex hac febre demortuam recenſet Iacobus VAN DER HAAR (*Harlemer Abhandl* VIII. Theil, 2. Stück, p. 380.). Sub ipſo frigore ſubinde mori, teſtatur MANNING: ubi tamen de vera morbi diagnoſi mihi dubium naſcitur. A partu paucas poſt horas incepiſſe, & tertia die iam lethalem fuiſſe hanc febrem vidi anno 1768. Sed & 15. poſt partum diebus propriam mulierem invaſit morbus; tardiora exempla non deſunt; & ipſe HIPPOCRATES die 14. invaſiſſe vidit in *Philini* uxore.

Horrorem excipit calor nunc modicus, nunc etiam admodum intenſus. Interdum etiam calorem excipit ſudor, monente WILLIS (*a*). In quibuſdam horror non antecedit calorem, ſed hic paullatim accedit, gradatimque ad ſummam uſque vehementiam progreditur.

Febris haec eſt febris continua remittens, quae typum quotidianae aut tertianae, ſimplicis aut duplicis, refers.

Acceſſus febris fit vel cum vel ſine prodromis, quaedam nempe mulieres antea conqueruntur de ſapore oris amaro, nauſea, labe ac deiectione virium, ſplendoris oculorum inſolito defectu, doloreque quodam obtuſo in regione ſinuum ſupraorbitalium. Similes prodromos Cel. STOLL obſervavit. Sic habet ille: „ Sub ultimum graviditatis tempus quaedam erroneo „ modo febriebant, & obſcurius, alvo ſegni „ ſupra modum, ore immundo, muci pleno, „ non appetentes. Dolor ad lumbos, & circa „ ſcrobiculum; mictus difficilis, frequens. „ Unam alteramve luculentior febris aggreſſa „ eſt, quae remiſit primo, dein etiam intermiſit (*b*) “.

In pulſu magna adeſt varietas, ſive roboris, ſive celeritatis; plerumque intra minutum

(*a*) L. c. p. 188.
(*b*) Ratio medendi P. II. p. 67.

pr. horae numerantur a 90. ad 136. ictus (*a*). Interdum ab initio parum a naturali recedit, evadit ſolummodo paulo celerior ac tenſus; prorepente vero febre fit celer, frequens, parvus, imo vix ſenſibilis, una cum anxietate & oppreſſione praecordiorum, ſuſpiriis, deiecto animo, laſſitudine & magna debilitate. WILLIS inquit: „ ſi morbus acutiſſimus ad ἀκμὴν die „ tertio aut quarto pervenerit, tunc calor in- „ tenſus eſt cum ſiti valde moleſta, pulſus „ vehemens & citatus (*b*) “.

Interea paullatim multa alia exoriuntur ſymptomata, v. c. cephalalgia, inprimis frontalis, cum oppreſſione & ſumma anxietate in praecordiis. Simul aegrota queritur de dolore dorſi, nuchae, femorum, regionis iliacae, circa epigaſtrium, ad coſtas ſpurias atque umbilicum, quin imo ad ſcapulas uſque protenſo. Sapor oris amarus, nauſea, vomiturítiones biliofae; aegra abhorret aſſumptionem cuiuſcumque ciborum & potulentorum generis, exceptis frigidis atque acidulatis.

Lingua initio febris alba eſt & humida; ſed brevi fit arida, indureſcit, fuſco aut ni-

(*a*) BURSERIUS de KANIFELD Inſtitut. med. practicae Mediol. 1781. 4. Vol. p. 312.
(*b*) L. c. p. 188.

gricante colore obducitur, ſimilis materia; effectus putridae exhalationis, dentes quoque inquinat, quae, deterſa, mox iterum apparet. Cel STOLL ſemel linguam vidit puriſſimam, & multis ſordibus ſcatente ventriculo.

Abdomen evadit tumidum, inflatum, ad minimum tactum dolens. Obſtipatio alvi & teneſmus, aut, quod frequentius accidit, diarrhoea bilioſo putrida, quae plerumque ad finem uſque morbi perdurat. Alvi hae deiectiones initio ſunt flavae, ſpumantes, muco tenaci mixtae, deinde autem colore nigricante tinguntur, & tam tetrum ſpargunt odorem, út nemo adſtantium illum perferre poſſit. Interdum etiam, &, quod peſſimum eſt, alvi deiectiones aegra inſcia fiunt (*).

(*) In muliere, quae die 20. Iunii 1773. *Bruchſaliae* feliciter pepererat, die tertia a partu iam lectum deſerente, quarta die obſervavi faeces iam inſcia aegrota emiſſas. Ira autem & refrigerium erant praegreſſa. Poſt meridiem eiuſdem diei, per totum corpus convellebatur & *Aphona* reddebatur mulier: quod cum HIPPOCRATIS obſervationibus circa hanc febrim, protinus conſentit. Corpus ſub nocte, magno ſudore madebat, & aegrota ſaepius utrumque regionis hypogaſtricae latus manibus indicabat: quo loco pauliſper compreſſo, dolor magnus prodebatur. Ad diei 25. finem copioſum acreve ſerum ex pudendis effluxit, quo nates citiſſime excoriabantur. Die 27. e vivis aegrota receſſit.

Simili modo quoque res ſeſe cum excretione urinae habet, aegrae mox nonniſi ſumma cum difficultate urinam edere poſſunt, mox autem illius excretio fit involuntarie, agraque inſcia (*).

Urina emiſſa variae extſtat conditionis, quandoque apparet pallida, aut turbulenta, quandoque vero craſſa & rubicunda, cum filamentis quibuſdam innatantibus. Superficies ſaepe tecta eſt pellicula alba, ac ſi oleum eſſet infuſum, interdum etiam materia alba cretacea fundum vaſis petit.

Somnus vel penitus abolitus, vel nullum levamen afferens, &, ut ſupra iam dixi, ab initio ſtatim ſumma virium proſtratio (**), triſtitia, crebra ſuſpiria, occulorumque imminutus ſplendor.

(*) Hoc ſymptoma, *dyſuria*, vel & *incontinentia urinae* pluribus puerperis hac febre nequaquam laborantibus, commune eſt, & a ſolo partu difficili ſaepe ortum ducit. Neque aliter de *urina* ſentiendum eſt, quae in ſaniſſimis puerperis naturaliter ſanguine conſpurcatur.

(**) Vidi hunc morbum in digniſſima femina mox *lipothymia* incepiſſe, quae, tempore trium dierum, ſeptuageſies & ultra invadebat. *Suſpiria ſonora*, *acuta* aderant, quae aliquoties & in aliis obſervavi, licet minora. Aliam vidi, in qua pes unus, *ſtupore*, quod *obdormire* vocant, affectus erat.

Lochia nonnumquam ad finem morbi uſque rite fluunt, & ex nulla parte a ſtatu naturali aberrant (*a*). Interdum vero minuuntur, parciora exiſtunt, & quidquid extillat, peſſime foetet, quandoque etiam omnino ſupprimuntur (*b*).

Similiter res ſeſe habent cum mammis, illincque ſecreto lacte; ſaepe enim lactis ad mammas affluxus per totum morbi decurſum nullo modo perturbatur, teſte LEAKE (*c*), interdum autem mammae poſt febris acceſſum fiunt flaccidae, lac in illis contentum minuitur, quin imo penitus evaneſcit. Sed hoc non ſemper contingit (*d*).

Peſſima, & quidem plurima ex parte lethalia, ſymptomata, haec ſunt: tremor artuum, genarum auctus rubor, livor labiorum oris, pinnae narium diductae, aſpectus ferox, ſingultus, ſubſultus tendinum, abdomen valde inflatum, dolens atque reſonans (**), alvo reie-

---

(*a*) LEAKE l. c. p. 53. WHITE l. c. p. 16.
(*b*) WILLIS l. c. p. 188. RIVERIUS l. c. p. 284.
(*c*) L. c. p. 54.
(*d*) WHITE l. c. p. 16.
(*) Lochia nequaquam turbata aliquando conſpexi in huius febris primis ſaltem diebus: ut huic ſecretioni vitiatae certe morbus non potuerit adſcribi. Vidi quoque copioſum in mammis lac fuiſſe: ut & ſine lacteae ſecretionis defectu morbus feminam invadat.
(**) *Abdomen* ex duro, *molle* factum, *reſpirationem*

ɛta nigra, peſtilentiali foetore imbuta, dolores punɛtorii in pectore, ſudores colliquativi; eruptio exanthematum, miliarium, petechiarum, aphtharumque; deglutitio difficilis; deliria phrenitica; convulſiones; frigus externorum; ſopor; paralyſes partium, imprimis linguae; vomitus materiae nigrae, aeruginoſae; tuſſis moleſta, & reſpiratio difficillima.

---

facilem vidi in muliere, in qua diarrhoea adhuc urgebat: dolores hinc inde tantum recurrebant: ad uterum nulla durities; ſed attactu tamen venter dolebat, inprimis ſuper criſtam oſſis ilei ſiniſtri. Sequebatur ad veſperas ſomnus pacatus, non, uti antehac, deliriis perturbatus; copioſe ſudabat, & dum evigilaret, ſeſe ſublevatam declarabat; Lipothymiae, quae prius aderant, ceſſabant. Sed ad noctem augentur iterum dolores, ſequitur vomitus copioſae bilis; alvus ter, quaterve liquida fluebat. Abdomen tactu minus dolet, & molle tangitur. Erat autem *ſeptima* a partu, & a morbo, qui mox ab hoc inceperat, dies. *Ructus multi* aſcendunt per fauces. Dolores hinc inde circa umbilicum violenter admodum inſurgunt; ſitis magna. Ad veſperas *pulſus fit plenior*, *durus* & frequentiſſimus; ſub oculis conſpicitur *circulus ex livido bruneus*, valde notabilis. Ad noctem moritur. Ergo *nec tumoris evaneſcentia ſecuram ſemper reddit puerperam:* ergo & *pulſus non ſemper exilis eſt ante mortem* ex hoc morbo: quod & in aliis ſaepe viſcerum inflammationibus lethalibus obſervamus, uti, ſub peripneumoniis, inteſtinorum phlogoſi, &c. ubi pulſus ex parvo ſaepe increſcit, plenuſque redditur & aequalis: ut iuniores, inexpertoſque Medicos in errorem ducat, & vitam ſecuram promittere faciat, ubi mors infauſta poſt paucas horas eſt inſecutura.

En agmen coactum ſymptomatum illorum, febrem noſtram concomitantium, quae omnia morbum periculoſiſſimum deſignant.

§. IV.

Morbi duratio. Criſes.

Morbi durationem variam atque incertam eſſe, tam ex veterum monumentis, quam recentiorum, qui illius deſcriptionem nobis tradidere, luculenter ſatis apparet.

Ex obſervationibus Principis medicorum, ſummi HIPPOCRATIS, perſpectum ſatis habere poſſumus, durationem morbi huiuſce eſſe variam, pro varia conſtitutione corporis aegrotae, & vehementia ſymptomatum, ſed ultra unum & vigeſimum diem morbum non excedere; ut ipſiſſimis eius verbis utar: „ Moriuntur, inquit, au„ tem aliae alio tempore, prout corpus & affe„ ctio ſe habet, verum unum & vigeſimum diem „ non excedunt (*a*)". Alio loco hiſtoriam narrat mulieris, quae laborioſe gemellas pepererat, & die decimo ſeptimo mortem paſſa eſt. Symptomata mortem praegreſſa, erant, vehementes

(*a*) De morb. mulierum L. I. Cap. 37. Charter. T. VII. p. 751.

corporis convulſiones, rigus externorum, retentio urinae, aphonia, atque deliria phrenitica (*a*); quod etiam confirmat WILLIS (*b*).

Recentiorum quoque multi hanc variam atque dubiam morbi durationem obſervarunt. Optime monet WHITE, mortem, nunc citius, nunc ſerius, accedere (*c*).

Nonnullae aegrotarum moriuntur iam quatuor & viginti horas primam poſt acceſſionem febris; dies *undecimus* autem plerumque eſt *ille dies* deciſionis, quo ipſo aegrarum pleraeque mortem ſubeunt. Nonnullae autem, ultra illum progreſſae, adhuc e vivis auferuntur (*d*).

Criſes hacce in febre, excepta diarrhoea, non obſervantur (*e*); quae autem alvi deiectiones, ſi aegrotae levamen afferre debeant, cum imminutione ac evaneſcentia ſymptomatum abdominis, eveniant, neceſſe eſt. Tumor & tenſio abdominis, una cum iſta iunctis doloribus cruciantibus minuantur, anxietas ſumma lenior reddatur, livor labiorum genarumque in-

(*a*) GALENI Comment. in HIPPOCRATIS Epidem. L. III. text. 39. Aegr. 14. Charter. T. IX. p. 380.
(*b*) L. c. p. 188.
(*c*) L. c. p. 17. 18.
(*d*) LEAKE l. c. p. 59.
(*e*) WHITE l. c. p. 17. ait: „ In this diſorder is „ not any regular criſis except the looſeneſſ “.

tenſus rubor evaneſcat ; reſpiratio liberior evadat, vires proſtratae attollantur, praeprimis numerus pulſuum reſtrictior, vultuſque ſerenior reddatur. Ambo haec ultima momenta, certiſſime, ac ſine ullo dubio convincere non poſſunt, febrem mitiorem reddi, ac ſummam de reconvaleſcentia aegrotae ſpem reconciliari (*a*).

Saepe autem res aliter ſeſe habent; diarrhoea enim, etiamſi in quibuſdam affectis morbum optime ſolvat, interdum tamen funeſtum morbi eventum ſecum trahit. Accidit enim, ut alvi hae deiectiones tam validae frequenteſque eveniant, ut aegrotae nihil afferant commodi, ſed nunc citius nunc ſerius mortem accelerent. In quo caſu plerumque haec excretio ſimul cum urinis aegra inſcia demitti ſolet, vires quam maxime proſtratae iacent, accedunt ſudores colliquativi, frigidi atque tenaces, ſingultus, ſubſultus tendinum, motus convulſivi capitis, manuum, oculorum, pulſus fit debilis, parvus, ac celer, & tandem deliria phrenitica & mors ipſa ſcenam funeſtam concludunt.

Optimo iure igitur diarrhoeam puerperarum in criticam & ſymptomaticam diſtinxit LEURET (*b*). Critica diarrhoea ſolet poſt ter-

(*a*) S. G. VOGEL Handbuch der practiſchen Arzneykunſt, 2ter Band Cap. 6. p. 272.
(*b*) L' art des accouchem p. 162. ſeqq.

tium aut quartum puerperii diem evenire, aegrotae levamen affert, & ſine lochiorum & urinae ſuppreſſione, ſed imminutione tantum, fit. Appetitus & ſomnus manet, pulſus pacatus, abdomen molle eſt,

Symptomatica e contrario citius incipit, excrementa nigricantia, griſea, ſaepe ſanguinolenta per alvum deiiciuntur, lochialis fluxus ſupprimitur, abdomen intumeſcit, vires infringuntur, appetitus ſomnuſque deficit, urina minuitur copia, ſitis ingens infeſtat, externa frigent, interna uruntur (*a*).

Quod attinet ad eruptionem ſudoris, an criticae naturae ſit, nec ne, adhuc ſumma inter auctores exiſtit diſſenſio. WILLIS inquit, „ numquam ſudore critico hunc morbum ſolu„ tum vidi (*b*)". Puerperis ſudores ſupervenientes multo plus noxae, quam emolumenti afferre, affirmat Cel. WHITE (*c*). Sudores perpetui plerumque ſignis, morbi vehementiam ſignificantibus, adnumerantur, & aegrotae magnum inferunt detrimentum, imprimis ſi regimine calido provocentur (*d*). Tunc temporis

(*a*) SWIETEN Comment. in H. BOERHAAVE Aphor. T. IV. p. 629.
(*b*) I.. c. p. 188.
(*c*) L. c. p. 131.
(*d*) SWIETEN l. c. p. 629.

etiam efflorefcentiae in ſumma cute propullulant, ut miliaria, vel rubra, vel mixta, atque petechiae; ſed multum abeſt, quod levamen afferant, aut ullo modo critici aliquid denotent (*a*).

Attamen nonnumquam eruptio ſudoris critica cenſenda eſt, ſed ſolummodo tum demum boni aliquid promittit, ſi ſudor ſit tepidus, tenuis, halituoſus, aequali ratione per corpus effuſus, & cum levamine erumpat, vireſque exinde attollantur. Sudoris eruptionem interdum eſſe criticam, nuperrime affirmavit CHAMBON DE MONTAUX, qui, ut verbis illius utar, ait: „ La criſe de la fiévre putride „ des femmes en couche a lieu ordinairement „ par deux emonctoires, la tranſpiration & les „ ſelles. La ſueur eſt nauſeabonde, & le ſelles „ ſont fétides (*b*) ".

Hanc autem eruptionem ſudoris minime ſolam ſufficere, ad materiam morbi plane e corpore eliminandam, perſuaſiſſimum mihi eſt; nullum enim exſtat exemplum, quod ſola ſudoris eruptione haec febris ſit profligata. Igitur ſolummodo ut concriſis eſt intuenda, quae materiam morbi ex parte tantum e corpore educit.

Abſceſ-

(*a*) WHITE l. c. p. 17. BURSERIUS. l. c. p. 314.
(*b*) Sur les maladies des femmes. à Paris 1784. 8. T. II. p. 449.

Abſceſſus criticos partium corporis muſculoſarum adhuc obſervavit LEAKE, qui diſrupti, ſaniem ichoroſam emiſere (a).

§. V.

Aetiologia.

Haec ſunt, quae mihi de huiuſce pernicioſae ac deleteriae febris ſymptomatibus praecipuis, & omni fere in caſu obviis, atque de illius tam rapido ſaepe decurſu, dicenda erant.

Iam operae pretium me facturum exiſtimo, ſi praecipuas attingam opiniones, quae de cauſſa febris puerperalis variis ab auctoribus hactenus evulgatae ſunt, & quae tam variae atque a ſe invicem diſcrepantes reperiuntur, ut hic loci optimo iure, ut in proverbio eſt, dicere poſſimus: quot capita, tot ſenſus.

Varias autem opiniones de natura & cauſſa puerperarum febris ad ſex ſequentes claſſes redigendas eſſe arbitror:

I. Suppreſſio ac retentio lochiorum.

II. Inflammatio inteſtinorum & omenti.

III. Inflammatio uteri.

IV. Inflammatio peritonaei.

(a) L. c. p. 58.

V. Metaſtaſis lactea.

VI. Colluvies putrida, vel in primis viis haerens, vel maſſam humorum inquinans.

§. VI.

Suppreſſio, ac retentio lochiorum, ut cauſſa.

Huic opinioni praecipue plurimi Veterum annuunt, ut HIPPOCRATES, BOERHAAVE, ex parte SENNERTUS, WILLIS & RIVERIUS.

Quae vero ſuppreſſio, ſi huiuſce febris cauſſa eſſet proxima, in omni etiam caſu adeſſe deberet; quod autem non ſemper fieri, a multis Scriptorum comprobatum video, quin imo haud raro accidit, ut ne fluxus quidem lochialis minuatur, ſed interdum per totum morbi decurſum ad finem uſque rite perſiſtat, id quod ex obſervationibus Cel. LEAKE planum atque perſpicuum eſt. Saepe lochia non minui WHITE etiam affirmat. DE LA ROCHE eandem lochiorum conditionem obſervavit, dum ſic habet: „ Les lochies ſont quelques fois extrê„ mement abondantes, d' autres fois elles le „ ſont très peu, & l' on voit la fièvre puerpe„ rale ſe manifeſter auſſi ſouvent dans un cas, „ que dans l' autre (*a*) ".

(*a*) Recherches ſur la nature & le traitement de la fièvre puerperale; à Paris 1783. p. 147.

Interdum etiam lochia tunc modo ſupprimuntur, quando febris iam per aliquod tempus duravit.

Inde igitur colligere licet, lochiorum ſuppreſſionem vel modo imminutionem, eſſe potius ſymptoma quoddam accidentale, nullo modo indolem morbi eſſentialem conſtituens, atque multo magis morbi effectum, quam illius cauſſam proximam eſſe. Hanc ſententiam quoque tuetur CHAMBON DE MONTAUX (*a*).

Fluxum lochiorum autem, a ſtatu naturali aberrantem, numquam funeſta creare mala, minime contendere auſus ſim, ſed merito multum noxiae eſt metuendum, ſi lochia ſupprimantur. Sola enim ſanguinis, licet boni, copia retenta, nec per uteri vaſa reiecta, ſi ad partes nobiliores debilioreſque ſimul repellatur, facile ac ſaepius dolores, inflammationes, atque haud raro adhuc deteriora mala harum partium, atque non levem febrem, excitare poteſt. Quin imo, ſi lochia, a boni ſanguinis indole deſciſcentia, puriformia nempe, atque foetentia fiunt, tunc certe, reſorpta, aut retenta innoxia fore, quis dixerit? Sanguinem lochialem autem hanc pravam atque nocivam indolem facile acquirere poſſe,

(*a*) L. c. p. 431.

nemo ulterius extra dubium ponet, ſi perpendat loci, quonam in retinetur, calorem, liberumque ſaepe aëris acceſſum, quae duae cauſſae alterationi & corruptioni huius liquidi animalis excernendi anſam praebent, atque tali modo fomitem variorum, interdum graviſſimorum, malorum ſuppeditant. Quum igitur iſta lochiorum ſuppreſſio per ſe iam mala funeſta parere poſſit, quis non viderit, quanta & qualia incommoda puerperis, febre inſuper perniciosa correptis, exinde accedere poſſint (*)?

§. VII.

Inflammatio inteſtinorum & omenti, ut cauſſa.

Hanc ſententiam ſequuti ſunt HULME, LEAKE & DE LA ROCHE.

HULME huiuſmodi inflammationem tribuit preſſioni, quam uterus gravidus in omentum

(*) Iuvat hic HARVAEI obſervationem addere. „ Mulier, quae febre maligna cum ſumma vitium „ iactura laborans abortivit, & poſt excluſionem „ foetus integri atque incorrupti, proſtratis tamen viribus, cum pulſu vermiculari & ſudoribus frigidis, moribunda videbatur. Uterum vero explorans, inveni eius orificium laxum, „ molle, & patentiſſimum, una cum male olentibus lochiis “.

& inteſtina exercet; circulatione ſanguinis igitur per haec viſcera turbata, ſtaſes ſanguineae, & demum harum partium inflammatio oriatur neceſſe eſt. Rationes & argumenta pro confirmanda ſua opinione deſumit e cadaverum ſectionibus: in quibuſdam omentum & inteſtina inflammata & gangraena affecta, cavumque abdominis putrido purulentoque latice, nec non ſpiritu foetentiſſimo repletum invenit. Huic ſententiae etiam LEAKE favet, in eo autem ab HULMEANA ſententia digreditur, quod loco compreſſionis vaſorum, ab utero gravido illis illatae, potius conſtrictionem uteri, & illam exinde in toto corpore, praecipue autem in ſanguinis circuitu repente obortam mutationem, tamquam huius inflammationis cauſſam, arguat. Utero enim, per incluſum foetum extenſo, truncum arteriae aortae comprimi, quocirca ſanguinis per illius truncum ramoſque circuitus impediatur. Excluſo autem foetu preſſio uteri in aortam deſcendentem deſinit, atque obſtaculo, circulationi ſanguinis inimico, remoto, tunc ſanguis rapido curſu intrat vaſa prius compreſſa, quae, quia impetu ſanguinis intrantis amplius reſiſtere nequeunt, magnopere inde diſtenduntur, atque ob nimiam illam diſtenſionem valde debilitantur: unde oriuntur ſtaſes, inflammatio & ſuppuratio, imprimis in omento

& inteſtinis, quae partes maiori vaſorum copia, laxioris inſuper compagis, quam reliqua viſcera, ſunt inſtructae. Ex eadem cauſſa etiam ſecretionem bilis auctam, in hac febre obviam, derivandam eſſe, maxime probabile.

Truncus enim venae portarum, quae hepar verſus ſanguinem vehit, & ſurculis minoribus ortum ex inteſtinis trahit, maiorem ſanguinis nunc accipit copiam: unde apparet, ſecretionem & excretionem bilis, circulatione ſanguinis per hepatis ſubſtantiam liberiore reddita, magis magiſque accelerari. Ex his LEAKE concluſionem fecit, ſecretionem bilis, huic febri ſupervenientem, illiuſque ſecretae per vomitum reiectionem, nullo modo convincere nos poſſe, febrem hanc eſſe bilioſae indolis.

Reliqua argumenta, pariter ac HULME ex ſectis cadaveribus deſumit.

DE LA ROCHE in opere, ſupra citato, eandem ſententiam de febris puerperarum cauſſa, in lucem edidit. E deſcriptione & ratione ſymptomatum enim, inquit, nil evidentius apparet, quam quod inflammatio viſcerum imi ventris cauſſa huius febris proxima ſit. Sententiam ſuam aeque ac HULME & LEAKE ſectionibus cadaverum probabiliorem, quin imo certiſſimam, reddere ſtudet. „ Les taches de „ gangrene, ait ille, qu' on obſerve ſur les in-

„ teſtins ; le retrêciſſement que l' on trouve
„ quelque fois dans quelqu' une de leur parties,
„ accompagné du raccorniſſement de leurs mem-
„ branes ; la grande quantité de pus, qui eſt
„ épanchèe dans toute la cavité de l' abdo-
„ men, en ſont des marques non équivoques
„ (*a*) “.

Ad cauſſas praediſponentes & occaſionales imprimis refert compreſſionem vaſorum viſcerum abdominalium, praecipue omenti ac inteſtinorum, ab utero gravido derivandam; porro frigidam tempeſtatem; conſtitutionem epidemicam, animaeque affectiones, praecipue timorem atque terrorem.

Sed iam meum eſſe arbitror, ut aliquid contra horum opinionem proferam, quo inteſtinorum inflammationem minime pro cauſſa proxima febris puerperalis agnoſcendam eſſe, certiores reddi poſſimus.

Febris haec ſi vere indolis eſſet inflammatoriae, venaeſectionem, tamquam praecipuum, ac certiſſimum in inflammationibus internis remedium, ad debellandum & penitus extinguendum morbum, fere ſolam ſufficientem fore, arbitror, nec opus eſſe aliis ad ſanationem perficiendam remediis. HULME autem ſo-

(*a*) L. c. p. 47.

lummodo provida circumſpectione mittit ſanguinem, atque praecipue commendatas habere vult evacuationes per os & alvum, LEAKE venaeſectionem tamquam princeps in hoc morbo auxilium ſpectat, modo autem in initiò; raro enim die ſecundo aut tertio, primam poſt acceſſionem febris, inſtitutam, ullomodo afferre levamen; tunc autem temporis aegrotae potius convenire medicamenta, bilem corruptam evacuantia „ &, ſi quid putridi admiſtum ſit, antiſeptica „.

Epidemia illa, quam LEAKE obſervavit; omnino eiuſmodi erat, ut venaeſectiones, ſtatim ab initio inſtitutae, ſummae eſſent utilitatis.

Iam alia adhuc attingam argumenta, quorum ope hanc opinionem refutare poſſumus. Febris, ſi inflammationi eſſet tribuenda, multo frequentius eveniret, & potius primiperas, quam mulieres, repetita vice enixas, infeſtaret. Cauſſa enim illa, compreſſio viſcerum, vaſorumque in illis contentorum, in omnibus ac ſingulis adeſt, quae igitur multo frequentius, quam revera accidit, febrem eſſet allatura. Primiperas autem omnium minime illi obnoxias reddi, experientia probat.

Porro etiam prae ceteris mulieres, corpore ſano, robuſto, multoque ſanguine praeditae, vitam inſuper agitatam exercitatamque gerentes,

ut feminae ruſticae, huic malo magis eſſent obnoxiae, quam illae, quarum ſolida non robuſta, ſed laxiori compage inſtructa ſunt, & quae potius vitam ſedentariam gerunt, atque ſanguinis copiam imminutam habent: quod vero etiam ſecundum omnium experientiam rariſſime accidere ſolet.

Si, ſecundum HULMEANAM opinionem, preſſio uteri gravidi, ad hanc inflammationem ciendam, ſufficere, tunc potius ante partum, quam illo peracto, morbus exoriretur.

Nil autem hanc opinionem facilius irritam facit, quam obſervationes Cel. STOLL, qui praeſente ſumma abdominis ſenſibilitate, & fere luculentiſſimis internae inflammationis apparentibus ſignis, nihilo minus omnia haec ſymptomata evacuationibus per os & imprimis per alvum diſſipavit. Praeſente autem vera & genuina inflammatione haec medendi ratio certiſſime nullam utilitatem, quin potius noxam allatura eſſet. WHITE undecim puerperis, febre hac correptis, venam non ſecuit, nec ulla illarum mortem paſſa eſt.

Attamen interdum inflammatio inteſtinorum omnino locum tenere poteſt, minime autem eſt inflammatio primaria & genuina, ſed ſecundaria & ſpuria, in progreſſu morbi accedens, quae a materie quadam vellicante & irritante,

in tractu inteſtinorum haerente, ortum trahit (*).

(*) Praepoſtere hic deciditur de re gravi, circa quam ſola experientia eſſet auſcultanda. Quamvis vero haec doceat, frequentiſſime inflammationem veram non eſſe *febris puerperalis* cauſſam primariam; negari tamen nequit, *aliquando eſſe*; licet poſt paucos dein dies in longe aliam naturam abeat hic morbus, quam cum qua invaſerat. Si plethoricam iuvenemque feminam poſt partum laborioſum, & poſt irritata laeſaque rudiori obſtetricantis manu genitalia, invadat aegritudo; ſi pulſus, uti vidi, durus, plenus, fortis fuerit; ſi lochia ſuppreſſa fuerint: nemo certe prudens negaverit inflammatorium morbi characterem: nemo venaeſectionem ſub his circumſtantiis cum ratione erit recuſaturus: ad quod accidit, *Epidemicas Conſtitutiones* non ſemper eſſe eaſdem, neque praedici poſſe, phlogiſticam naturam morbo huic ſemper eſſe abfuturam. Certe ſi rem accuratius conſidero, *Variola*, a contagii ſtimulo ad cutis ſuperficiem nata, *Cavulum*, mox poſt aliquot dies, ſiſtit, lacteſcente, purulentoque, tenui humore repletum: ut ſimile hic ſub Epidermide phaenomenon contingat, quod in *febre puerperali* in *abdominis cavo* contingit. Atqui tamen *Variola* vel inflammatoria ſit eiuſdem, vel putrida, malignaque natura, abundat tamen effuſo hoc ſub epidermide liquido purulento: quod a ſtimulo quovis, uti ab ipſo etiam cantharidum acri, hic extravaſatur. Ex eo vero, quod *Variolae* nullam ſaepe febrim habeant; ex eo quod ſaepe longe ab inflammatoria indole abſint, nemo tamen negaverit, Epidemias Variolarum ſubinde dari, quarum natura multum de inflammatorio participat. Eadem de *puerperali febre* di-

§. VIII.

Inflammatio uteri, ut cauſſa.

In hanc opinionem nonnulli in arte obſtetricia praeclari viri, ut IOHN BURTON (*a*), IOHNSON (*b*), DENMANN, SMELLIE (*c*), KIRKLAND, animum convertere; atque hanc originem febrium puerperarum, veluti probabiliorem aſſignant. Uterum in huiuſmodi febre, una cum aliis cavo abdominis contentis viſceribus, interdum inflammari, ſine dubio fateri cogimur. Saepe enim ſeſe manifeſtant ſymptomata inflam-

---

cenda ſunt: communiſſime quidem ex inflammatione non oritur; ſed aliquando haec latet, non vero in progreſſu tantum morbi accedit, ita ut a *Practico* in cenſum non eſſet ducenda. Curavi igitur ſub talibus circumſtantiis febrim puerperalem adminiſtrata mox primo morbi principio venaeſectione, atque alii curarunt. Quare & ad Phlogoſin in hoc morbo reſpicere oportet Medicum, licet in quamplurimis caſibus venaeſectioni locus eſſe non poſſit: quod in gratiam eorum hic monendum eſſe putavi, qui ad ſimplices nimis origines morbos reducunt & ſyſtemata mox nimis generalia condunt, nullibi, quam in praxi medica, fataliora.

(*a*) IOHN BURTON new Syſtem of Midwifery. Lond. 1751.

(*b*) New ſyſtem of. Midwifery. Lond. 1769. 4.

(*c*) SMELLIE theorie and practice of Midwifery. Lond. 1767.

mati huius viſceris luculentiſſima, & reſerata cadavera interdum uterum inflammatum & gangrenoſum oſtendunt (*a*).

Hanc vero uteri inflammationem pro cauſſa proxima huiuſmodi febris agnoſci debere, exinde non ſequitur; quae enim, aeque ac inflammatio inteſtinorum, ſi adſit, multo magis tanquam morbi effectus, aſt minime cauſſa conſideranda eſt. Id quod autem huic opinioni fere omnem aufert probabilitatem, eſt, quod haec inflammatio non ſemper in demortuis obſervata ſit. Uterum autem interdum omnino affici poſſe, quando lochia turbantur, atque ſanguis lochialis ſic in utero retentus, corrumpitur, & acrimoniam nanciſcitur; aut ſi uterus in partu fuerit laeſus, aut portio quaedam placentae remanſerit, quae putreſcit, atque ob acrimoniam acquiſitam uterum irritat, & tali modo inflammationem huius viſceris gignere poteſt, unusquiſque facile intelliget. In genere etiam haec inflammatio, a cauſſa interna, monente SELLE, rariſſime accidit (*).

(*a*) POUTEAU Mélanges de Chirurgie p. 182. GASTELLIER l. c. p. 108.

(*) Fortiter etiam WALTERUS inſurgit contra cauſſam febris puerperalis ex utero inflammato petitam, qui in nullo cadavere poſt hanc febrim diſſecto *Metritidem, ut cauſſam*, potuit detegere. LEAKIUS

§. IX.

Inflammatio peritonaei, ut cauſſa.

Hanc cauſſam, excepto illo tam celebri ac ingenioſo viro HUNTER, nullus auctorum in medium protulit (*).

Argumenta, pro ſtabilienda ſua opinione, e ſequentibus deſumit:

Primo ſecta ſpectat cadavera, quae ſaepe ſolam hanc membranam inflammatam oſtenderunt. Deinde etiam contendit, uterum, reliquaque abdominis viſcera in hac febre primario

fortiter comprimebat ventrem aegrotarum ſuper pubem, neque minimum abhinc dolorem aegrotae perſentiebant: cum interim eadem preſſio ad regionem epigaſtricam & ſupraumbilicalem, ſummos mox dolores cauſaret. Simile & mihi exemplum in praxi occurrit. Interim negari nequit, uteri Phlogoſin ſaepius fuiſſe obſervatam, & quamplurima exempla BURSIERUS noſter egregius, licet de ſuis nihil addiderit morbi huius hiſtoriae, citavit (Inſtit. Med. pract. §. I. §. 468.). Certe in femina illa, quam ſupra deſcripſi, acerrimus & nates corrodens ichor paullo ante mortem ex genitalibus effluxit: ut, licet ſectionem cadaveris facere non datum fuerit, facile tamen concludi poſſit, in utero labem localem, ſphacelumque haeſiſſe.

(*) Adhaeſit nuperrime WALTERUS (de morbis Peritonaei & Apoplexiae).

non affici, &, ſi aliquando inflammata reperta fuerint, a conſenſu illorum cum peritonaeo derivandam eſſe hanc ſubortam inflammationem.

Sed haec opinio quam minimum probabilitatis prae ſe fert, qui enim fieri poteſt, ut tam exitioſa atque lethalis exiſtat haec inflammatio, quum haec membrana nullo modo illis corporis partibus adnumerari queat, quae, ſi quo modo laeſae fuerint, oeconomiae animali damnum ſaepe irreparabile afferre poſſunt. Quodſi autem aliquando in demortuis inflammata reperiatur, ut interdum omnino accidit, illius inflammationem, aeque ac illam inteſtinorum, uteri & omenti, potius effectum, quam cauſſam eſſe, credere mallem (*).

(*) Convenit tamen, & *Peritonaei* inflammationem ſubinde pro cauſſa morbi admittere: quis enim ea huic membranae negabit, quae *Pleurae*, in morbis pectoris ſubinde concedimus? Certe, qui *dilatata* ſub graviditate vaſa externum abdomen ſuperſcandentia conſideraverit, non erit negaturus, ſimile quid in profundiori Peritonaeo contingere. Accedit ſumma muſculorum abdominalium ſub partus opere, in debiliori femina, per multas aliquando horas continuata actio; ac cedit imprudens ſaepe per manus obſtetricum abdominis compreſſio: ex quibus certe cauſſis extrema vaſorum exhalantium oſcula facile ad morboſas ſecretiones praeparabuntur. Interim plurima ſunt, quae *Peritonaei inflammationem* pro praecipua febris puerperalis cauſſa conſiderare, protinus non permittant.

Interdum autem re vera adeſſe hanc inflammationem, experientia edoctus eſt VOGEL (*a*) in quodam caſu, ubi inflammatio tranſivit in ſuppurationem, & morbus, in quo ſumma tenſio & ſenſibilitas abdominis percipiebatur, abſceſſu, foras rupto, ex toto reſolutus eſt. Symptoma, quod ſecundum VOGELII ſententiam, planum facit, inflammationem hanc eſſe obortam, in eo conſiſtit, quando ſenſibilitas abdominis tantopere aucta eſt, ut nec minimum tactum, ne illum quidem ex induſiis, aegra poſſit perferre.

§. X.

Retentio & metaſtaſis lactis, ut cauſſa.

Apud pleroſque Gallos hodie iam invaluit, a lacte intra ſanguinem retento, & in aliena loca reiecto, non ſolum varia & funeſta mala, ut apoplexiam, peripneumoniam & abſceſſus, exinde lacteos vocatos, verum etiam febrem iſtam, de qua iam verba facimus, potiſſimum proficiſci in puerperis. Huic opinioni

(*a*) L. c. p. 653.

praecipue favent LE ROY; PUZOS (*a*); LEURET, DOULCET (*b*), DOUBLET (*c*), V. SWIETEN, SELLE (*d*), & GRUNER (*e*).

Argumenta, cur ita ſentiant, haec ſunt:

1. Mulieres, quae natis ubera non porrigunt, proniores in huiuſmodi febrem exiſtunt, & vice verſa.
2. Lac in mammis congeſtum ac retentum ſaepe eſt cauſſa tumorum, inflammationum, abſceſſuumque, quibus feminae ſunt obnoxiae: qui tumores autem non ſolum in mammis, verum etiam, ſi lac in ſanguinem regurgitat, in aliis quibuſdam corporis partibus, tam externis, quam internis, obſervantur.
3. Sectiones cadaverum illud plane demonſtrant. Materiam enim illam purulentam, in cavo abdominis repertam, eſſe nihil aliud, quam lactis corrupti, ac ibi depoſiti, coagulum, in quonam haud raro luculentiſſimos lactis coagulati flocculos oculis percipere poſſumus.

4 Mam-

(*a*) Traité de l'accouchem. Par. 1759.
(*b*) Journ. de Medec. 1782. Novbr. p. 448. ſeqq. transl. in lingu. germ. vide in Samlung. für pract. Aerzte, 8ter Band. 2tes St. p. 296.
(*c*) Ibid. 1782. Decbr. p. 502. ſeqq. Saml. für pract. Aerzte eod. p. 313.
(*d*) Med. clinica p. 455.
(*e*) Diſſ. de febr. puerper. Jen. 1781. reſp. FUCHS.

4. Mammae in iſta febre plerumque fiunt flaccidae, lacteque carent, quod vel iam a primo morbi ingreſſu accidit, vel morbo ſupervenit prorepente.

5. Lacte deficiente aut retrogreſſo, aegrotae quam peſſime afficiuntur, mitius autem aegrotant, ſi mammae denuo turgeſcere incipiunt.

His argumentis nituntur opiniones illorum, qui febrem puerperarum a lacte retento, & in ſanguinem retrogreſſo, derivare ſtudent. Iam vero meum eſt, ut aliqua cum circumſpectione perpendam, an omnia illa argumenta, quibus ſupra dicti auctores confidunt, ita ſe habeant, ut nihil reſtet dubii, quin veram illam pronunciemus. Perluſtremus igitur ſingulatim modo relatas argumentationes.

Ad 1. argumentum. Feminas, lac quae porrigunt natis, hac febre eſſe immunes, minime cum experientia convenit. LEAKE (*a*) eo tempore, quo in gynedochio, Weſtminſter Lying-in Hoſpital dicto, febris puerperarum magna cum vehementia & ſaevitie aegrotas afficiebat, omnibus ac ſingulis puerperis, infantibus praebere ubera, mandatum dedit, qua

(*a*) L. c. p. 68.

cautione ſiſus, morbum feminam non correpturum, credidit. Verumtamen ſpes illum fefellit; nihilominus enim illae, quae iuſſum erant ſecutae, morbo affectae ſunt, & aeque vehementer & inſidioſe ac antea aegrotarunt (*).

Ad 2. argum. Lac in mammis congeſtum & retentum prorſus ab omni noxae ſuſpicione vindicari haud poſſe, omnibus notum eſſe, arbitror. Quis enim haud ſciat, lac quandoque in mammis mora & ſtagnatione ita vitiari, ut varia exinde oriantur incommoda: v. c. nodi ſic dicti lactei, qui, niſi mature medicamentorum efficaciſſimorum ope reſolvantur, & lac, ſic reſolutum & liquefactum, varia encheireſi e mammis proliciatur, cito plerumque ſubeunt inflammationem ſuppurationemque; cuiuſmodi abſceſſus nonnumquam valde curatu difficiles exiſtunt.

Pari ratione etiam in aliis corporis partibus, praeſertim inferioribus, formantur abſceſſus, qui originem a lacte, per metaſtaſin ad haec loca reiecto, trahunt.

(*) Neque feminae *Inſubricae*, quae, exceptis ruſticis, filios non lactant, febri puerperali magis ſubiectae videntur, quam *Germanae* Matres, quae ubera proli ſugenda porrigunt.

Verum tamen ex his naturam & cauſſam puerperarum febris haud poſſe comprobari, arbitror (*).

(*) Miror egregium SELLE, Gallorum de lactis metaſtaſi ut proxima febris puerperalis cauſſa, opinioni acceſſiſſe (Medicina Clinica edit. 3. p. 544.), cum tam validae contra hanc rationes pugnare videantur. Vidi certe puerum plenis buccis ubera ſuxiſſe lacte pleniſſima matris, quae poſt paucos dies a febre puerperali fuit extincta. Similia alii viderunt, &, ſi ſaepius mammae concidant, videtur hoc multis aliis ſecretionibus commune eſſe, ut, accedente febre, areſcant. Frequentiſſime certe & in aliis puerperarum morbis mammae concidunt, quin igitur *puerperalis febris* ſymptomata obſerventur. Ex eo ipſo vero, quod matri lactationem recuſanti mammae turgeant & cum dolore tumeant; quod indurentur, inflammationem ſubeant, & non raro ſuppurentur, videtur coniici poſſe, non tam facilem lactis in ſanguinem regurgitationem copioſiorem eſſe, quam MEKELIO comprobatum eſſe apparebat. Mirarer febrim puerperalem non frequentiorem eſſe, ſaepe vero *epidemice regnare;* mirarer, ceteris animalibus feminis propriam non eſſe, quas, uti equas, capras, ob abſentem diutius pullum, aut tardiorem emulctionem mammis turgere, dolore vidi, ut greſſus facere non poſſent; ſed, humanae feminae adinſtar, cum tanto diſcrimine aegrotaſſe, non noverim. Neque *chylus* in ſanguine copioſius licet circulans, a lacte parum diverſus, hactenus accuſatus fuit per depoſitionem hominibus lautiſſime etiam nutritis nocuiſſe. Intercepta igitur lactis ſecretione, lac ipſum retentum pro

Ad 3. argum. Vix probabile eſſe videtur, materiam illam purulentam, lacti ſimilem, in

---

morbi cauſſa vix poterit aſſignari. Toties vero iam dictum eſt, extravaſata, poſt inflammationes viſcerum, liquida, ob ſolum colorem, & ſubſidentis coaguli cum caſeo ſimilitudinem, lac ideo dicendum non eſſe, ut ceſſare tandem debeant tam vana ſaepe de quotidianis metaſtaſibus lacteis iudicia. Vidimus, ut quamplurima mihi alias viſa ſileam, die 25. menſis Decembris 1787. in Clinica Ticinenſi, in viro iuvene, Hepatitide & Peripneumonia, inter Noſocomii aegrotos, extincto, copioſiſſimam talem, colore protinus ſerum lactis referentem materiam in abdomine contentam, & ex pectoris etiam cavo per exeſum Diaphragma depluentem, parte craſſiori, quaſi caſeoſa, commixtam, quae prorſus inflammationis productum fuerat. Quare ridiculum eſt, in feminis pro *lacte* declarare, quod & in viris, forti inflammatione detentis, non ſemel tantum detegitur. Curavit quidem praeclarus SELLE, materiam illam albidam, ex feminae, puerperali febre mortuae abdomine deſumptam, ab experto *Chemico* (D. Hermbſtäd) examinari: atque reſponſum dedit ille: praedictum liquorem eſſe *lac imperfectum*, alcali ſuperabundans &c. (*Neue Beyträge zur Natur und Arzneywiſſenſchaft* 1780.). Vereor tamen, ne, ob quamdam animalium humorum a morte ſtagnantium ſimilitudinem, errori hic locus fuerit. Ipſum certe *pus*, &, quod vocamus *purulentum*, humorem ſiſtit, lacti, aut cremori eius non admodum diſſimilem: parte gaudet tenuiori, *ſeroſa*, dein oleoſa, quam pro *butyracea* habere licebit, ultimo vero lympha quadam coagulata, quae *caſei* fere naturam re-

cavitate abdominis poſt mortem repertam, eſſe lac per metaſtaſin ad haec loca repulſum, ac ibi corruptum.

Interdum enim etiam in reſeratis cadaveribus, alio morbo e vita ſublatis, pluries inventa eſt materia quaedam, lacti ſimilis, ſine ulla lactis ſuſpicione. Apud MORGAGNI exſtat

ferre videtur. Atqui ſic non adeo utriuſque liquoris, tum *purulenti* tum *lactei*, producta, ſi chemice examinentur, a ſe diſtabunt, praecipue dum poſt diuturnam demum ſtagnationem lactis inſtituta analyſis, cum illa *purulenti* fluidi, adhuc recentis, conferatur. Meretur haec mea opinio experimentis vel confirmari, vel refelli; atque primam in *Clinica Ticinenſi* occaſionem mox arripiam, &, quid examen accuratius docuerit, ſuo tempore non reticebo.

Interim, non in totum negaverim, lac aliquando poſſe reprimi, antequam in mammis adhuc potuerit coagulari, &, ſi variis de cauſſis corruptum fuerit, poſſe ad alias partes ſubinde deponi, ibidemque ſtagnare, irritare, &c. Vidi manifeſtum exemplum in femina nobili, quae turgidiſſimis lacte mammis, cum puerum lactare recuſaſſet, conſilio Chirurgi admovit *vapores diſcutientes*. Mammae citiſſime concidebant: ſed ad crus dextrum mox ſubortus eſt tumor inſignis, dolens, anaſarca albiſſimum referens, non niſi ſex ſeptimanarum tempore diſpulſum. Certe quaevis ſecretio magna, *ſubito* ſuppreſſa, damna ſua habere conſuevit, neque negari poſſunt in integrum *metaſtaſes lacteae*, licet nimium eiſdem tribuerint Galli inprimis Medici. Feminam vidi

prae ceteris obſervatio ; ubi in muliere, ex peripneumonia demortua, quae nec puerpera, nec partui ulli proxima erat, ſiniſtrum thoracis cavum ſero albicante repletum inveniebatur, ſimili quoque materia pericardium turgebat, illiuſque ſuperficies interior, exteriorque cordis obducta erat materia quadam albicante (a). Similia obſervavit BURSERIUS, dum inquit: „ ego quoque pluries in cadaveribus, tam morbis acutis, quam chronicis, denatorum, & quidem virilis ſexus, pericardium humore lacti ſimili plenum, cor vero materia quadam caſeoſa obductum deprehendi, qua abſterſa,

in Noſocomio Ticinenſi, cui Ill. & Celeberrimus Anatomiae & Chirurgiae Profeſſor & Collega amiciſſimus SCARPA, ope tricuſpidis, mammam mole inſignem, & cum interna fluctuatione turgentem, aperuit. Per plures menſes iam duraverat tumor, nec inflammatio praegreſſa fuerat, quae de ſuppuratione dubium movere potuiſſet. Effluxerunt ſinceri, pinguiſſimi & incorrupti lactis librae circiter octo, cuius analyſin inſtituit Illuſt. Collega SCOPOLI. Pleniorem huius mirae collectionis lacteae hiſtoriam Publico communicabit, qui operationem ſuſcepit, Vir dexterrimus; ſed id tantum mihi abinde concludere fas ſit, non tam facilem, ac creditur, lactis e mamma repulſionem, neque tam citam lactis corruptionem eſſe, ut abhinc febris puerperalis ſymptomata tam frequentia rectius queant explicari.

(a) Epiſt. Anat. Med. 45. n. 16.

„ ſolummodo levior inflammatio cernebatur „ (a) „. PERCIVAL narrat hiſtoriam puellae octennis, aſcite & anaſarca laborantis, in qua bis paracenteſis inſtituta ſit, & qualibet vice inſignis copia humoris lactei ſit extracta (b).

Plura adhuc alia huiuſmodi obſervata, de materia quadam lacte ſimili in reſectis cadaveribus obvia, ſine ulla autem lactis, per metaſtaſin ad haec loca reiecti, ſuſpicione, ex ſcriptorum monumentis proferre poſſem; ſed haec ſufficere arbitror, ad illud comprobandum, ſolam liquidi illius albicantis, in abdominis cavo puerperarum, ex huiuſmodi febra denatarum, obvii, cum lacte ſimilitudinem, rationes ſufficientes plane non ſuppeditare, quae rem probabilem reddant, materiam iſtam eſſe nihil aliud, quam lac retentum, ibique depoſitum.

Verumtamen lac ab omni noxa immune vindicare, perinde irritum eſſet, ac ab illius metaſtaſi ſola febrem puerperarum deducere; quodſi enim in illius decurſu ſecretio & excretio lactis retardata, aut penitus ſuppreſſa fuerit: exinde omnino ſummum morbi incrementum, & vitae periculum metuendum eſt.

C 4

(a) L. c. p. 292. Nota.
(b) Medical and experiment. eſſays p. 233.

Ad 4. argum. Mammas in febre puerperali interdum fieri flaccidas, & lacte carere, compertum atque evictum eſt; hanc autem mammarum flacceſcentiam, lactiſque defectum haud raro abeſſe, e contrario autem mammas interdum ab initio ad finem morbi uſque tumidas exiſtere, lactiſque ſecretionem & excretionem nullo modo turbari, licet morbo graviſſimo, evidenter demonſtrant obſervationes Cel. LEAKE, & aliorum (a). Mammas iam ab initio, antequam febris ipſa, atque ſymptomata illam inſequentia, extorta fuerint, lacte carere, rariſſime accidit, ſed fere omni in caſu, quo lac e mammis diſparuit, hoc fieri ſolet aliquod tempore poſt febrem accenſam. Nonne ex his colligere licet, receſſum lactis potius eſſe morbi effectum quam cauſſam?

Ad 5. argum. Facile diiudicatu eſt, cur aegrotae plerumque tum vehementius laborent, quando ſuppreſſa fuerit lactis excretio, ac melius ſeſe habeant, ſi lac iterum per mammas effluat. In priori enim caſu adeſt cauſſa quaedam vehemens & valida, quae efficit, ut lac a mammis avertatur, quo facto aegrotae ſtatus, iam ante lactis ſuppreſſionem periculum mi-

(a) LEAKE l. c. p. 54. 201. WHITE l. c. p. 16. VOGEL practiſch. Handbuch B. 2. p. 265.

nans ; adhuc periculoſior ; & eventus morbi incertior reddatur, oportet. Quodſi autem in decurſu morbi mammae denuo lacte repleantur, indicium cauſſae mitigatae & levioris redditae, ſpemque valetudinis recuperandae exinde deſumere licet. Minime autem hoc morbi ex ſuppreſſione lactis gravamen, atque ex illius rurſus ad mammas itinere febris lenimen, pro argumento lactis metaſtaſeos arguendae, cenſendum eſt.

Haec ſunt, quae mihi, ad refutandas opiniones eorum, qui metaſtaſi lacteae, febrem puerperarum tribuendam iudicarunt, tradenda erant. Paucis vero adhuc nonnullas alias attingam rationes, quae inſuper nos poſſunt convincere, quam infirma haec ſit opinio. Compertum quidem eſt, lac eſſe ſuccum blandum, dulcem, & omnis acrimoniae expertem; qui autem fieri poteſt, ut tam blandus, & humanae naturae amicus liquor, ſi retineatur, aut in ſanguinis maſſam redeat, tam atrocem, & inſidioſam febrem excitaret? Si lac huiuſmodi indolis in ſanguinis vias repulſum, tam inſidioſe & inimice in corpus humanum ageret, tunc omnino etiam nutrices tempore ablactationis huic febri obnoxiae eſſent, in quibus lac e mammis repellatur & derivetur, neceſſe eſt, quin nodi, inflammationes & ſuppurationes mammarum obo-

rirentur. Attamen de hac febre tunc temporis obſervata, nullum exſtat exemplum.

Aliter quidem res ſeſe habent, quando lac variis cauſſis alteratur, ac vitioſae redditur indolis: tunc enim omnino, repulſum, & in varias corporis partes depoſitum, pro diverſitate partis, ad quam accedit, varia & diverſa mala atque incommoda, producere poteſt. Igitur nonnumquam ex hac cauſſa obſervantur apoplexiae vehementes, quum vitiatum & corruptum lac cerebrum petit; pleuritides & peripneumoniae, ſi lac illud ad viſcera thoracis, reſpirationi inſervientia, repellitur. Porro ſaepe oboriuntur tumores lactei in partibus corporis externis, praeſertim inferioribus, qui plerumque in ſuppurationem tranſeunt. Interdum etiam in textum celluloſum, quod cutim & muſculos, imprimis extremitatum inferiorum, interiacet, lac repulſum deponitur, ibique oedema, anaſarca lacteum dictum, procreat.

Cauſſae, quae lac vitiatum reddunt, praecipue ſunt errores diaetae, refrigerium corporis, prae ceteris animi pathemata, ira, triſtitia, moeror, terror &c.

Haec quidem omnia, hactenus in Gallorum opinionem, de metaſtaſi lactis, ut febris puerperarum cauſſa proxima, prolata, ſic accipiantur velim, ne quis in errorem animum indu-

cat; ac ſi a lacte in hac febre nunquam quid metuendum eſſet, ſed prorſus ab omni noxae ſuſpicione vindicandum ſit. Periculoſior enim aegrotae conditio evadit, & ſummam requirit attentionem, ſi mammae in decurſu morbi fiunt flaccidae, & lactis quantitas vel imminuitur, vel penitus evaneſcit. Mala enim, ex ſola hac retrogreſſione lactis metuenda, aegrotae ſummum detrimentum, quin imo vitae periculum inducere poſſunt; quanto plus noxii effectus, in hac febre, per ſe, abſque lactis & mammarum vitio, iam valde perniciosa, exinde oriri poſſint, quilibet facile diiudicabit.

Reſtat adhuc, ut ad illam & quidem ultimam de huiuſce febris cauſſa, opinionem, animum advertam, quae omnium, quarum hactenus mentio facta, maxima gaudet probabilitate. Uberius igitur in ſequenti §. de illa diſquiſiturus ſum.

§. XI.

Colluvies, imprimis putrida, vel in primis viis haerens, vel maſſam humorum inquinans, ut cauſſa.

Huic ſententiae favent praecipue RIVERIUS, SENNERT, WILLIS, WHITE, BUT-

TER, KIRKLAND ex parte; MILLAR (a); STOLL & VOGEL. Argumenta, quae probare videntur, cauſſam febris puerperarum plerumque in primis viis latere, & a vitioſa colluvie ibi collecta ortum trahere, ſunt ſequentia:

I. Ex contemplatione graviditatis ſtatus colligere licet, cur gravidae & enixae ad ſuſcipiendos morbos ex abdomine naſcentes, aptiores reddantur, quam ad alios ex alia cauſſa provenientes. Femina tempore graviditatis ob magnam illam revolutionem, praecipue in ſanguinis circuitu, ceſſante fluxu menſtruo, obortam, ſpaſmis variis abdominalibus vexatur, exinde oriuntur ſecretionum atque excretionum abdominalium turbae; complures gravidarum obnoxiae redduntur vitiis digeſtionis, appetitus mox imminutus, mox iterum validus, nonnumquam etiam inſolita, concoctu ſaepe difficilia, appetunt. Uterus ſenſim ſenſimque increſcens, viſcera abdominalia, vaſaque ſecretoria & excretoria in illis contenta comprimit, unde ſtaſes & obſtructiones abdominales magis magiſque augentur, & ſtagnans illa materia acris redditur. Ultimo graviditatis tempore mulieres plerumque vitam gerunt ſedentariam, quae circu-

---

(a) On the pervailing diſorders in great Britain. 4to.

lationi ſanguinis plura adhuc obiicit impedimenta. Ex mala & damnanda illa conſuetudine, gravidis mulieribus ultimis praeſertim graviditatis ſeptimanis, victum lautiorem porrigendi, iuſcula carnis, aromatibus variis condita, potulenta exaeſtuantia, ſpirituoſa, colluvies primarum viarum omnino augeatur neceſſe eſt, ideo praeſertim, quia inſuper ſolida illarum laxa & atonica exiſtant. Foetu autem excluſo, & ceſſante compreſſione, ab utero gravido viſceribus imi ventris inflicto, & tunc una veluti vice, atque magno cum impetu humores in inteſtina ruunt, ſordes ibi collectae, antea immobiles, mobilitantur, accumulantur, ac, ſi natura puerperae adhuc integra, vireſque validae exiſtant, ſoluta alvo foras eliminantur. Haud raro accidit, ut vires aegrotae adeo ſint fractae, ac deiectae, ut natura ſemetipſam iuvare nequeat, ſordeſque per alvum eliminare, quae tunc ob acrimoniam, illis indutam, febrem accendunt pernicioſam, ſaepe lethalem.

II. Omnia hic conveniunt, ad ſordes & quidem putridas, procreandas; corpus nimirum iam ante partum, & in partu ipſo debilitatum, aër plerumque cubiculo incluſus, ac inſuper effluviis impuris, ut illis a lochiis, inſurgentibus, contaminatus, cubiculi ac lecti intenſus calor, ſtragulorum multitudo, ita ut aegra perpetuo

ſudore madeat; potus & cibi calidi, iuſcula cum multo vino, in genere victus animalis, abuſus medicamentorum calefacentium, corporis neglecta mundities &c.

III. Naturam morbi gaſtricam ſubinde colligere licet, ſi ſymptomata febrem concomitantia, perſpiciamus, quae illis febrium gaſtricarum reſpondent, v. c. aſpectus linguae, ſapor oris ingratus, ſenſus anxietatis & oppreſſionis circa praecordia, cephalalgia frontalis, nauſea, vomituritiones bilioſae, dolores colici inteſtinorum, alvi deiectiones bilioſae, male foetentes, rel. Huc pertinet etiam eruptio miliarium, petechiarum in cute, aphtharumque in ore, quae ex ſordibus gaſtricis, minime autem ſecundum Gallorum opinionem a lacte intra ſanguinem repulſo, & ad corporis ſuperficiem per modum metaſtaſeos reiecto, originem ducunt. Nonne haec ſymptomata in omni fere febre gaſtrica, praeſertim gaſtrica putrida, obſervantur?

IV. Febris plerumque corripit pauperes, anguſtioribus parumque aëre puro perflatis cubiculis incluſas, nec ſatis munditiei corporis ſtudioſas, & multo frequentius inſuper illas in urbibus, quam rure degentes. In regionibus & anni tempeſtatibus calidis ſaepius puerperas infeſtat, quam illas, ſub coelo & tempeſtate

frigidiori vitam gerentes (*a*). Porro in noſocomiis puerperarum frequentius occurrere, ibique atrocius ſaevire ſolet, quam in praxi privata, quod a vitiato & corrupto aëre, in noſocomiis plerumque obvio, derivari poſſe, admodum probabile redditur (*b*).

V. Methodus curationis etiam hanc noſtram probat opinionem; etiamſi enim opiniones auctorum, quorum hactenus mentio facta eſt, quoad huiuſce febris cauſſam, adeo diverſa, & diſſentientes ſint, methodus tamen curandae huius febris, ab illis inſtituta, haud adeo diſpar eſt, atque a ſe invicem recedens, quam pro ratione opinionum varietatis futura ſit. In genere enim omnes dicti auctores eo conſentiunt, praecipue ad abdomen ibidemque contenta viſcera eſſe reſpiciendum. HULME, qui, ut ſupra dictum eſt, inflammationem inteſtinorum, cauſſam febris proximam agnovit, venaeſectionem ſolummodo tanquam auxilium, minime autem ut praecipuum & princeps omnium remediorum, ad curandam febrem, conſideravit. Venaeſectionem autem conſtituere primum & ulti-

(*a*) COOPER Compend. of Midwifery p. 220. inquit: „ this fever is moſt common, and alſo more fatal in the hoter months " .

(*b*) IOHNSON new Syſt. of Midwifery p. 253.

mum in inflammationibus internis remedium, quo ſine fere nunquam inflammatio talis coercenda & profliganda eſt, quilibet in arte gnarus compertum atque evictum ſibi habebit. Secundum HULMEANAM autem ſententiam potiſſimum eccoprotica, tanquam convenientiſſima remedia, ſumma cum laude extolluntur; nam horum ope quam citiſſime morbus eſt profligatus.

Nonne haec omnia ſatis plane naturam morbi gaſtricam declarant?

Magis adhuc noſtram opinionem confirmat methodus medendi, quam Gallorum quidam DOULCET propoſuit. Sic habet ille: „ omnia tam interne ſumma cum circumſpectione & prudentia data, quam externe applicata remedia, ut balnea, venaeſectiones in brachio & pede inſtitutae, veſicantia, cucurbitulae, hirudines, cataplaſmata emollientia, anodyna, exſuctio mammarum, quin imo embrocationes abdominis frigidae, mortem nullo modo arcere potuerunt. Indicationem igitur ſeſe offerentem, vomitum nempe biliofum, ſequutus, aegrotae propinavit gr. XV. pulveris radicis Ipecacuanhae, per duas vices aſſumendae, quod remedium, poſtridie repetitum, ſenſibilem ſymptomatum remiſſionem attuliſſe, animadvertit. Repetita vice igitur hoc remedium datum excepit hauſtus purgans oleoſus. Quo curationis modo multas aegrotarum reſtitutas vidit.

Nuperrime quoque Cel. noſter FISCHER obſervationem in Gal'ia nactam promulgavit (*a*). Ab illo exinde tempore, quo in noſocomiis Lugdunenſibus & Maſſilienſibus methodus Cel. POUTEAU, gravidis, loco, venam ſecandi, vomitorium bis vel ter repetitum propinandi, ubique inclaruit atque exercetur, rariſſime obſervantur febris puerperarum, purpura, aut alia gravia puerperii mala. In gynodochio, cui princeps chirurgus eſt praefectus, febris puerperarum ne nomine quidem patet, & rariſſime lethalem habet eventum.

Nonne hac methodo, febrem puerperalem poſſe praecaveri, atque cauſſam morbi genitricem, fomitem nempe gaſtricum, poſſe auferri, ita ut perniciosiſſima puerperarum febrium avertatur, natura & indoles morbi huius, cum certitudine quaſi, plana atque perſpecta redditur? Nullum amplius hac de re dubium fore, ſatis evictus crediderim.

Praeterea adhuc Cel. STOLL, medicus noſtri aevi feliciſſimus, in egregia ſua ratione medendi, noſocomio Vindobonenſi accommodata, obſervationes, indeque tam acute factas

(*a*) RICHTER Chirurg. Biblioth. 8ter Band. 1tes Stück. Seite 74. 75.

concluſiones, in medium protulit, ut nemo adhuc dubitare poſſit, quin haec febris ex abdomine, tam variorum, quam interdum diuturnorum malorum fonte, plerumque & fere ſemper ortum deducat (*a*). Huic opinioni quoque favet Cel. RICHTER, praeceptor mihi in aeternum ſumma cum obſervantia colendus,

§. XII.

Quamvis autem haec modo dicta opinio, de natura & cauſſa febris puerperarum, omnium probabiliſſima eſſe videatur, atque inſuper gaudeat auctoritate tantorum atque clariſſimorum, in arte medica virorum; adhuc tamen, & quidem merito, nonnulli verſantur in dubio, an haec ſit unica & proxima febris iſtius cauſſa. Antehac enim hanc febrem, ut febrem ſui generis, characteribus quibuſdam eſſentialibus, quibus illam ab omnibus aliis febribus diſtinguere licet, praeditam, auctores habuere, quin imo nomen illi peculiare tribuerunt, ac ſi puerperae hacce ſolummodo corriperentur febre, quae ſubinde etiam cauſſam modo unicam agnoſceret.

Veteres iam, acutas puerperarum febres variis e cauſſis oboriri, dixerunt, quod SEN-

(*a*) L. c. P. II. Cap. IX. p. 57.-87.

NERTUS iam obſervavit, dum „ Febres, inquit, putridae puerperarum e duabus cauſſis proveniunt, vel a lochiorum ſuppreſſione, aut imminutione, vel ab humorum vitioſo apparatu, tempore geſtationis cumulato, ac in partu agitato (*a*) ".

RIVERIUS hiſce duabus cauſſis adhuc addit errores diaetae, quae variis modis contingere poſſunt, vel dum puerperae plura & copioſa fercula, quae ſufficienter concoqui non poſſunt, & in corpore putredinem contrahunt, ingurgitant, vel dum aëri frigido ſe exponunt, praecipue vigente febre ex lacte (*b*). Idem auctor adhuc aliam cauſſam febrium putridarum puerperis ſupervenientium affert, ſi nempe portio quaedam ſecundinarum in utero remanet, quae ob calorem loci, quum ſit pars demortua, putreſcens redditur, unde lochia putrida, vireſcentia, foetentiaque promanant. Qui liquor putridus, ſi in vias circulationis tranſvehitur, omnino febrem mali moris accendere poteſt.

Varias agnoſcere febres puerperarum putridas cauſſas, affirmat WILLIS. „ Huiuſce febris cauſſas, inquit, in procatarcticas, evi-

(*a*) L. c. T. IV. L. IV. P. II. Sect. VII. Cap. XI.
(*b*) L. c. L. XV. Cap. XXIV. p. 284.

dentes & coniunctas diſtinguere libet. Iſtae prioris generis ſunt praecipue duo, prava ſanguinis diatheſis, a longa menſium ſuppreſſione derivanda, & malae uteri affectiones. Ad cauſſas evidentes, ſ. occaſionales pertinent mala victus ratio, & frigoris ſuſceptio. Cauſſa coniuncta, ſ. ratio formalis haec tria complectitur: ſanguinis inductam dyſcraſiam, ſuccum nervoſum acrem, & laeſionem uteri ".

Haec autem veterum opinio in eo vere aliena verſatur, quod illi putant, ſuppreſſionem lochiorum ideo nocivi eſſe effectus, quia ſanguis ille, illorum fluxu eliminatus, ſit ſanguis vitiatus, ex retentione catameniorum durante graviditatis tempore in uteri venis accumulatus; partem enim innocuam ad alendum foetum a natura exhiberi. Sed illum ſanguinem, fluxu lochiali excretum, minime eſſe vitiatae & nocivae naturae, potiſſimum autem eiuſmodi eſſe conditionis, ac ille in reliquis corporis vaſis contentus, neminem hodie amplius dubitaturum eſſe, ſum perſuaſus. Reliquae autem a veteribus obſervatae & modo recenſitae cauſſae omnino multum valent, ad procreandam vel augendam ſaltem febrem noſtram puerperarum, quod obſervationibus recentiorum confirmatum video.

Prae ceteris iudicium & ratiocinium Cel.

VOGEL memoratu dignum arbitror, cuius opinio magnopere mihi arriſit, quum dixerit, febrem puerperarum nomen febris eſſentialis, febris ſui generis, quae ratione ſymptomatum cauſſarumque a reliquis febrium generibus valde diverſa ſit, minime mereri.

Nullum enim ſymptoma, ex illorum ingenti cohorte, quae febrem noſtram concomitantur, ſeſe viſui medici offert, quod nec in aliis morbis, praeſertim febribus gaſtricis, & gaſtrico-putridis, obſervari licet, exceptis illis, quae peculiaris aegrotae ſtatus habita ratione, in puerperis modo eveniant, neceſſe eſt, ut uteri & mammarum conditio.

Nonne etiam varietas deſcriptionis, variis ab Auctoribus traditae, illud comprobare videtur, febrem hanc non ſemper unius eiuſdemque indolis, praeſertim ratione cauſſarum, exiſtere?

Nuperrime etiam CHAMBON DE MONTAUX febrem noſtram nomine peculiari ne quidem deſignavit, ſed dum de febribus puerperarum acutis ſermonem facit, trium morborum fecit mentionem, & quidem febrem humoralem ex primarum viarum colluvie, deinde diarrhoeam, & denique febrem putridam & malignam pertractavit, quae morborum ſpecies ſimul iunctae conſtituunt febrem illam puerperarum, de qua

verba facimus, id quod ex illarum cum hac convenientia luculenter apparet (*a*).

Quae cum ita res ſe habeant, opinionem Cel. VOGEL, aliorumque maxima probabilitate eſſe praeditam, quin imo dicam, veritati proxime accedere, convictum me habeo, febrem nimirum puerperarum non modo unicam, ſed aliam atque aliam agnoſcere cauſſam. Nullum igitur febrium genus exiſtit, cuius naturam febris puerperarum interdum inducere nequeat; nunc enim eſt inflammatoriae, nunc gaſtricae, nunc putridae, interdum etiam nervoſae indolis. Febrem ſubinde, rariſſime quidem, eſſe inflammatoriam, Cel. STOLL affirmat (*b*), & quidem tunc temporis illiuſmodi indolem adſciſcere poteſt, quo ſanguis acri gelu, & flante borea, diſpoſitionem inflammatoriam poteſt nanciſci. Attamen etiam hoc tempore puerperas minus aptiores ad recipiendas inflammationes eſſe, optime monet idem modo dictus vir celeberrimus, & quidem eam ob cauſſam, quia foeminae in univerſum, ob laxiorem corporis compagem, & ſanguinem minus phlogiſticum, haud ita facile, ut viri, febribus inflammatoriis corripiantur; ita potius puerperae, quae aliquam

(*a*) Sur les malad. de femmes T. I. p. 383-469.
(*b*) L. c. p. 71.

in partu, aut poſt eundem ſanguinis iacturam perpeſſae ſunt, & quarum corpus exinde plus minuſve debilitatum eſt, quamdam ab inflammationibus immunitatem iure poſſidebunt. Quando autem inflammatorii aliquid in hac febre obſervatur, fere numquam inflammatio vera, & pura, ſed potius complicata eſt, quod bene diſtinguendum; nam quod ſi inflammatio ſit complicata, in errorem incideres, & ſaepe noxios produceres effectus, ſi methodo antiphlogiſtica uti velles.

Frequentius autem fomes in primis viis latens, febrem noſtram accendit, quae tunc nullo modo ab aliis febribus gaſtricis differt. Pro varia & vitioſa fomitis latentis natura autem, etiam febris exinde orta, varia atque praeſertim triplex eſt: vel febris gaſtrica pituitoſa, vel gaſtrica bilioſa, vel gaſtrica putrida, ac niſi ſordes evacuantur, maſſa etiam humorum ſimul inquinatur, atque febris gaſtrica, ſanguineo putrida, omnium peſſima, exoritur. Antecedente paragrapho rem argumentis firmavi.

Febrem puerperalem interdum induere indolem febris nervoſae, affirmat Cel. VOGEL (*a*), quod praeprimis ſit in mulieribus, ſyſte-

(*a*) L. c. p. 270.

mate nervorum admodum debilitato & ſenſibili inſtructis, quod ex multis praegreſſis puerperiis, cura & moerore, fluore albo, multiſque aliis nervoſum ſyſtema afficientibus cauſſis, valde debilitatum eſt. Raro autem hic loci febrem nervoſam ſimplicem obſervare licet, ſed fere omni in caſu gaſtrici aliquid immixtum reperitur (*).

(*) Si miram gravidarum, inprimis vero puerperarum ſenſibilitatem paullo attentius conſideremus; ſi obſervationum rationem habeamus, quod aliquando *ſubito*, abſque praegreſſis cauſſis evidentibus ab hoc morbo invaduntur ſaniſſimae pridem mulieres: non certe mirabimur, *nervoſi* quamplurimum, ſeu *ſpaſtici* hic ſubeſſe: quo plura forte ſymptomata in *gaſtrico* ſyſtemate oriuntur, quam ab ipſa ſaburra hic praeſente. A ſolo nimirum virili ſemine, graviditatis primo tempore, tot vomitus bilioſi, tot anxietates, animique deliquia ſaepe excitantur: ut mirum non ſit, a parvis aliquando cauſſis ad *uterum* forte haerentibus, cultro tamen anatomico poſt mortem nequaquam detegendis, ſimilia excitari: ita ut inſignis mox virium defectus accedat & ſymptomatum nervoſorum cohors. Certe ſi *choleram morbum* excipiam, pauci mihi remanere videntur morbi *gaſtrici*, qui tam cito lethalem aegrotantibus exitum concitent, niſi ſubtili admodum *contagio* in nervos agatur: quod in febre puerperali *ſporadice* hinc inde invadente ſupponi vix poteſt. Adinſtar vero contagii ſaepe agit nervorum etiam parvorum laeſio, ut non ſolum febris abhinc atque vomitus; ſed & ipſe aliquando tetanus excitetur, mortaliſque convulſio. Quare in men-

Iam adhuc ſupereſt, ut complures cauſſarum, quae producunt puerperales febres, re-

---

tem quondam mihi venit, an forte quibuſdam in caſibus febrium puerperalium, primis iam diebus lethalium, *in cranio* magis ac *cerebro*, aut medulla lumbali, quam ad uterum, ipſumque abdomen, princeps morbi cauſſa haeſiſſet? Odi ſemper hypotheſes experientia non ſuffultas; ſed videbantur mihi capitis vulnera, tot ſaepe turbas ad ſyſtema gaſtricum excitantia, ulteriorem huius ideae conſiderationem permittere. A ſola cerebri concuſſione vomitus enormes vident ſaepe Practici, & a levi capitis vulnere. Sed obſtabat ventris in puerperis tumor, collectique in cavo abdominis ſeri puriformis copia. Fateor, haec localem magis viſcerum imi ventris adfectum poſſe ſignificare; interim ſi mecum cogitem, poſt capitis vulnera, toties ad hepar atque ad ſingula alia abdominis viſcera, abſceſſus lethales obſervatos fuiſſe, non indignam attento Practico ſuſpicionem eſſe credidi: num forte *puerperalis febris*, quam *nervoſam* dicimus, cauſſa proxima, in *longinqua* magis parte eſſet quaerenda? Quaeram vero, ubi occaſio dabitur aut in Clinica mea, aut in Noſocomio, neque contentus abdomen ſolum perluſtraſſe, nervorum etiam fontem per totam ſui extenſionem examinabo. Deiicit vero inquiſituri animum, quod tam ſaepe, quod in nervos agit, id non ſit, quod cultro anatomico queat demonſtrari. Nihil tale offerunt, qui a forti animi pathemate, qui a vi dolorum, ad torturam poſiti, ſubito extinguuntur, aut a peſtifero venenorum attactu. Sub ipſo partu mortuarum ex improviſo foeminarum exempla non deſunt, & ex apoplexiis ſyderatas adduxit SWIETENIUS; ubi ſub vi dolorum, laboriſque ad par-

cenſeam. Huc pertinent lochia vel retenta, vel ſuppreſſa & corrupta; reliquiae ſecundinarum, & ſanguinis grumi in utero relicti, qui putreſiunt, ſanguiniſque maſſam inquinant; prava humorum conditio; colluvies omnis generis, primis viis inhaerens; excretio alvina imminuta, aut diu retenta; metaſtaſis lactea; animae affectus, imprimis moeror & triſtitia; regimen calidum, ante, vel poſt partum adhibitum; nimius lecti vel cubiculi calor; refrigerium; aër putridis effluviis infectus; conſtitutio epidemica;

---

tum vehementioris impetu, rupta cerebri vaſa ſanguinem evomuerant, & lethalem apoplexiam produxerant. Aliquando vero protinus *nervoſae* indolis eſſe in parturientibus hanc ultimam, dubium non eſt. Omnia vero docent, ſub partu non parum caput ipſum affici, atque hinc non deſpiciendam prorſus eſſe hanc atrocium morborum ſedem, ubi de febris puerperalis, inprimis malignae aut *nervoſae* cauſſis inveſtigatio incumbit. Iam dixi, febres *gaſtricas* raro tam cito lethales eſſe; ſed neque uteri ipſius, magnae licet inflammationes tam cito ſaepe necant, ut iam primis aliquando morbi diebus, maligniſſimae febris adinſtar, aegrotas abripiant. Ignoramus certe, quid ſub quibuſdam partubus tam violenter in uteri ſyſtema agat, tamque infelicem in vicinis viſceribus conſenſum poſt ſe trahere poſſit; ſed oportet aliquid eſſe, quod ſaepius nec gaſtricam nec inflammatoriam originem agnoſcat, & quod methodo communi, his febribus adaptata, nequaquam poteſt averti.

partus laborioſus, ac multae inſuper aliae cauſſae. Plerumque plures harum cauſſarum conveniunt, ad formandam febrem, ac omnium frequentiſſima, gaſtrica nimirum colluvies, raro abeſt.

§. XIII.

Prognosis.

Iam ad illa ſigna progrediar, quibus; quantum fieri poteſt, certiores reddi poſſumus, quis & qualis futurus ſit morbi eventus, & quaenam ſit prognoſis formandae ratio. In genere morbus periculoſiſſimus eſt, & haud raro aegrotas e medio tollit, inprimis ſi ſtatim ab initio neglectus fuerit. Interdum autem eventus minus funeſtus, & aegrotae ſanitatem plane recuperant.

Pravi exitus ſigna.

Ad diiudicandum morbi eventum, ad abdomen praecipue reſpiciendum eſt. Quo acerbior illius dolor, & quo vehementior illius tenſio (*a*), imprimis ſi valde uritur, eo maius

(*a*) BURSERIUS de hac inflatione & tenſione abdominis inquit: „ ſi diarrhoeae ceſſanti & deſi-

Digitized by Google

imminet periculum; praeſertim; ſi copioſae alvi deiectiones, cum pulſu frequenti, parvo, ac debili, ac ſubita ingentique virium proſtratione, ſpirandique difficultate, ſimul coniunctae ſint. Mentis alienatio; ingens inquietudo; ſoporoſitas, aut vigiliae; frigus externorum; ſudor frigidus & viſcidus, imprimis circa extremitates; lividus labiorum oris color; pinnae narium diductae (*a*); vomitus virides, nigri, imprimis abſque levamine; lingua arida, aſpera, fiſſa, nigro colore tincta; anxietas ſumma; deliria phrenitica, malum & plerumque lethalem praedicunt eventum.

Eruptio milliarium, petechiarum aphtharumque, morbi vehementiam denotant.

Quo citius aegram corripit, eo difficilior curatu (*b*).

Lac, ſi ſubito e mammis diſparuerit, mali

ſtenti ſupervenit, ſimulque regio epigaſtrica & reliquae partes dolent, ſignum lethale " L. c. p. 313. E contrario autem LEAKE obſervavit, hanc abdominis intumeſcentiam tunc omni in caſu eventum lethalem habuiſſe, ſi perſeveranti diarrhoeae ſupervenerit, & paullo poſt illius doloris acceſſionem, regionem ventriculi inter & umbilicum, oborta ſit. Omnes enim ſic afflictae aegrotae paſſae ſunt mortem. L. c. p. 52.

(*a*) Quo in caſu, ut ait BURSERIUS „ nullum ab arte iuvamen " L. c. p. 313.

(*b*) WILLIS l. c. p. 188.

ominis eſt. Saepe enim illam lactis evaneſcentiam ſubſequuntur deliria, & mors repentina.

Fauſti eventus ſigna.

Quamvis diarrhoea ſaepe malum praeſagiat, interdum tamen boni aliquid exinde ſperare licet, & quidem, ſi una dolor & tenſio vehemens abdominis minuitur, anxietas levior, reſpiratio liberior, vires elatiores, imprimis autem pulſus rarior, tardior & moderatior (*a*), vultuſque ſerenior, redditur. Boni quid ſperare licet, ſi lochia rite fluunt, aut ſi ſuppreſſa redeunt, ſi lac vel non evaneſcit, vel rurſus apparet, ſi lingua humida, mollis, rubra, aegra mentis eſt compos, urinae naturali lege excernuntur, & ſedimentum flaveſcens ad fundum vaſis mittunt.

§. XIV.

Morbi curatio.

Quemadmodum de natura & cauſſa febris

(*a*) HULME l. c. iudicium praecipuum e conditione pulſus deſumit, dum affirmat: ſi, licet alia ſymptomata ceſſaſſe videantur, pulſus tamen perſiſtat valde frequens celerque, nec febris aliquotenus remittat, haud fidendum ſatis eſt, nam brevi tunc ingraveſcere & exacerbari omnia ſolent.

Digitized by Google

puerperarum variae apud Scriptores extant ſententiae eodem modo etiam methodus illi medendi a ſe invicem diſcrepat, prout varia illorum ſententia eſt. Breviter igitur methodum curationis, ſecundum varias opiniones inſtitutam, enarrabo.

Qui inflammationem inteſtinorum ut cauſſam arguunt, hi methodum antiphlogiſticam, inprimis venaeſectionem commendant. Praecipue illi favet DE LA ROCHE. HULME autem, eandem reſpiciens cauſſam, venaeſectionem parca exhibet manu, & potius alvum expurgare iubet. Plus vero iam LEAKE venaeſectioni confiſus eſt, imprimis ſub initium morbi, & quidem tribus prioribus poſt partum diebus, quibus autem praeterlapſis, non amplius aegrotae eſſe proficuam, ob tum exortam ſuppurationem. Reliquo igitur morbi decurſu reſpicit magis ad evacuationem & expurgationem imi ventris. DE LA ROCHE autem venaeſectionem ut praecipuum & unicum, ad febrem profligandam, remedium, commendat, ſimul habito reſpectu, ad moderandum vigorem ſanguinis circuitus, ad aegrotae animi & corporis tranquillitatem, atque diaetam humidam attenuantem & diluentem. Inſuper, ad involvendam & eiiciendam vitioſorum humorum, in tubo inteſtinali contentorum, irritationem, medicamenta mucilaginoſa praeſcribit, clyſmatumque iniectionem inſtitui iubet.

Metaſtaſeos lactis accuſatores, ad curandam febrem, partim phlebotomia, partim etiam evacuantibus per alvum, urinam & ſudorem utuntur.

WHITE, cui febris putridae omnino indolis iſta videtur, a phlebotomia prorſus abſtinuit, & modo tunc illam non reprobat, quum pulſus plenus, vehemens & vibratus, aut dolores abdominis acerbiores & lancinantes eam expoſcere videntur; ſed inter initia tantum & parciori manu, vult ſanguinem detrahi. Maius autem afferre adminiculum evacuantia per os & alvum, experientia edoctus eſt.

Quum autem ex ſupra §. XII. dictis apparuerit, hanc febrem minime unius ſolummodo, ſed variae indolis eſſe, curationis methodum etiam pro illius diverſitate, variam eſſe debere, unusquisque facile intelliget. Operae pretium igitur me facturum exiſtimo, ſi methodum medendi, huic variae indoli accommodatam, paululum uberius proponam. Iam quia febris ſaepiſſime gaſtricam agnoſcit naturam, facillime exinde diiudicare licet, quaenam remedia illi curandae aptiſſima convenientiſſimaque ſint, medicamenta nimirum evacuantia, tam vomitoria, quam purgantia.

Quod attinet ad uſum vomitoriorum, nullo modo conditio ac ſtatus puerperae coërcere nos debet, quin illis utamur, ſed neglecta hac con-

ditione, audacter emetica, ſi indicationibus poſtulantur, puerperis propinare debemus. Omnium conſenſu radix Ipecacuanhae aliis emeticis, in his tartaro emetico, eſt praeferenda, & quidem doſibus partitis, ita ut vim ſuam per aliquas vices exſerat. Uſus illius tamdiu continuatur, quamdiu ſymptomata, emeſin poſtulantia, perdurant. Alvo haud raro obſtructa optimo cum ſucceſſu immittuntur clyſmata emollientia, quae omnia irritantia, ut ſal culinare reſpuunt; optime hoc fit, antequam aegrotae emeticum porrigatur. Ambo haec remedia haud raro vel minuunt vel penitus diſſipant multa urgentia ſymptomata, ut cephalalgiam, oppreſſionem & anxietatem circa praecordia &c. quin etiam monente VOGEL aberrationem & retrogreſſionem lactis verſus inteſtina, coercent (*a*).

Pari ratione, ac emetica, purgantia ſummum praeſtant auxilium, ſymptomatumque graviorum lenimen afferunt. Quia autem, ob tantam ſordium ſcatentium acrimoniam, tractus inteſtinorum magna gaudet irritabilitate & ſenſibilitate: ſemper utamur purgantibus levioribus, atque a fortioribus, quae cum ſtimulo operantur, prorſus abſtineamus, quia haud raro ex pur-

(*a*) VOGEL l. c. p. 276.

purgantium illorum leniorum uſu, frequentes vireſque aegrotae infringentes alvi deiectiones obſervatae ſunt. Praeterea adhuc partitis doſibus, quo minus hypercatharſes exoriantur, exhibenda ſunt.

Convenientiſſima igitur cathartica ſunt manna, ſal polychreſte, Seignette, ſal mirab. Glauberi, arcanum duplicatum; a nonnullis etiam olea unguinoſa, & prae caeteris oleum Ricini, commendantur (*a*), & quidem in eo caſu, ſi inteſtina valde irritabilia ſunt, ubi alia purgantia, naturae minus blandae, irritationem adhuc maiorem inteſtinis afferrent, atque magna cum vehementia vim ſuam purgantem exſererent. Uſum autem oleoſorum in hac febre magnopere vituperandum ſentit Cel. STOLL (*b*), dum ait: „ Hoc qui faciunt – puerperis nempe ſorbitiones oleoſas propinant – nonne oleo cito rancido facto ſaburram mirum augent? Nonne nervos quos delinire animus erat, acerrime irritant? Nonne ventriculi infringunt vires, & ſaepe ſaepius aegrotantem, & oleum & operam una perdunt " ?

Op. Med. Vol. V. E

(*a*) BURSERIUS l. c. p. 320. LEAKE l. c. p. 135.
(*b*) L. c. p. 78.

Contra illam ſententiam STOLLIANAM BURSERIUS hoc regerit : non omnia huius generis olea adeo facile ſubire rancorem, ſi modo recentia ſint, & rite, frigide nimirum, expreſſa fuerint, ut oleum Amygdal. dulcium, oleum Ricini. Ne inſuper oleoſa tam diu in ventriculo commorentur, ſed quo citius vim ſuam exſerant, magna illorum copia ingurgitanda eſt, ut unciae duae, tres, quatuor & plures una vice. BURSERIUS etiam ſuadet, ſi quis rancorem oleorum reformidet, illa cum ſucco limonum, citri, oxymelle coniungere, quia acida rancorem arcerent (*a*).

Hanc methodum quoque ſecutus eſt DOULCET, qui primo vomitorium ex gr. xv. rad. Ipecacuanhae, in duas partes aequales diviſis, propinavit, & unam poſt alteram, una & dimidia hora praeterlapſa, ſumere iuſſit. Emeticum excepit hauſtus oleoſus ex Ol. Amygd. dulc. rec. unc. ij. Syr. Malv. unc. j. Kerm. min. gr. ij. cochleatim ſumendus. Ambo haec remedia tamdiu exhibuit, quamdiu abdomen tumidum & dolens, pulſuſque parvus & debilis manet. Die ſeptimo praeſcripſit purgans ex Mann. unc. & Arcan. duplic. dragm. j., atque pro potu ordinario

(*a*) L. c. p. 248.

Decoct. ſem. Lini, vel rad. Scorzon. cum ſyr. de Alth. dulcificatum.

Abdomine tenſo apte epithemata emollientia & anodyna imponantur.

Sic univerſim medetur morbo ſimplici. At ſi ſymptomata quaedam graviter urgeant, his quoque adhibeatur peculiaris attentio. Praecipua illorum ſunt vomitus & alvi deiectiones validae & aſſiduae.

Hae duae evacuationes plerumque ſumme neceſſariae, & aegrotis valde proficuae ſunt; haud ita raro autem fiunt tam frequentes atque enormes, ut omnino metuendum, aegrotam una cum reiiciendis animam poſſe exſpirare. Qui ergo motus enormes, ob imminens vitae periculum ſunt ſedandi, ſimul autem ad id reſpiciendum quod illi ex acri colluvie, inteſtina foedante, proveniant, ideoque etiam his promovendis proſpiciendum ſit.

Ad ſedandas vomituritiones alvique deiectiones enormes conveniunt potulenta & remedia mucilaginoſa, Decoct. hordei, avenae, granulorum Sagu, Gummi arabicum, radix Salep. Potio RIVERII etiam, in actu efferveſcentiae ſumta, magnam affert utilitatem, quum vomitum ſiſtat, acrem bilem incidat & corrigat, atque ob aëris fixati eruptionem praeſertim putredinem coerceat, quae haud raro in hac febre

evenit. Inſuper adhuc eccoproticis lenioribus, cum cautione tamen, utendum, quo ſordes illae acres eliminentur.

Quum vero haec febris ſaepiſſime adquirat indolem putridam, unde aegrotae vires, in partu iam valde imminutae, magis adhuc deiiciuntur, ita ut exinde puerperae conditio anceps ac dubia reddatur: idcirca ſumme neceſſarium eſt, una cum remediis evacuantibus coniungere medicamenta antiſeptica & roborantia. Ad emendandam & corrigendam igitur ſordium latentium putredinem, viresque aegrotae ſimul attollendas, optime conveniunt acida, tam vegetabilia, quam mineralia, atque prae caeteris Cortex Peruvianus, Arnica, Serpentaria &c. ſecundum iuſtas indicationes exhibenda. Aſt quia etiam diligenter ad illud reſpiciendum eſt, ne putridus ille fomes, in tubo inteſtinali latens, remaneat, qui, ſi retineretur, ob acrimoniam ſibi comparatam, inflammationem & ſuppurationem inteſtinorum lethiferam produceret, convenientiſſimum eſt, cum antiſepticis & roborantibus ſimul iungere evacuantia, quorum ope eliminantur ſordes.

Diaeta etiam ad hanc medendi methodum accommodata eſſe debet. Aër cubiculi ſit purus, frigidus, ſaepiuſque, caute tamen, renovetur. Cibi ac potulenta ſint frigidiuſcula, & acidula; paucis ut dicam, diaeta humectans, diluens, vegetabilis atque acidiuſcula eſto.

Digitized by Google

Iam adhuc de reliqua huic ſebri medendi methodo, quae variam illius indolem & complicationes ſpectat, plura in medium proferri poſſent; ſed amplitudinem nimiam opellae huius vitare plura ſuadent, cuius praecipue ſcopus hic eſt, ut ſpecimen qualiſcumque hactenus acquiſitae doctrinae medicae aequis rerum iudicibus ſiſteretur.

Digitized by Google

IOH. LUKIANOVITZ DANILEVSKY

KIOVA-RUSSI

DISSERTATIO

DE

MAGISTRATU, MEDICO FELICISSIMO.

Goettingae 1784. (*).

§. I.

PRimarium artis medicae *obiectum* ſanitatis deperditae reſtitutionem vulgo adpellant; *Secundarium* certe futuram, ſi mortalium aures ſani-

(*) Praeſentem Diſſertationem *ego*, dum *Goettingae* adhuc verſarer, ſub alieno nomine conſcripſi. Mens ſcribentis erat, monſtrare, quid *Magiſtratus*, ſi *Medici* vices agere ſibi aſſumeret, pro urbium, populorumque ſanitate praeſtare poſſet. Atque longe maioris momenti hoc crediderim, quam quod *ipſa* artis ſalutaris *facultas* pro nobiliſſimo hoc obiecto vel praeſtiterit unquam, vel tempore quovis alio ſit praeſtitura. *Felicior* enim ſemper in *praecavendis*, quam in *ſanandis* morbis *Medicina* fuit: & quod *Medicus* in uno hic aut altero cive boni praeſtat; hoc ſibi cum

tate vigente adeo paterent medicorum monitis, quam quidem ſero nimis hiare ſolent capiendis medicaminibus aegrotantium guttura. Vix artem novi, in qua, circa *avertendos* machinae errores, tantam artifices collocaverint operam, quam certe a Medicis (quorum ex iniquo vulgi iudicio omne lucrum a morbis eſſe aiunt) non abſque inſigni honore AESCULAPII poſitam docent tot conſcripta de *praecavendis morbis* volumina; ſed, quod maxime dolendum, ſurdis canimus, quot quot deliciarum luxuriarumque pericula exponimus, qui malle videntur aegrotare, ut a morbis arte divina percurentur, quam humano ab iiſdem ſibi proſpicere conſilio.

§. II.

Omnes hinc, non in *praeſervante*, ſed in *vindicante* a morbis medico honores collocant; nec tamen per Deos! ingenuo id animo faciunt, cum plurimorum mentem non tam *ſanitatis* ipſius, quam *decoris* cuiuſdam ratio feriat, ut ſibi

populo integro faciendum *Magiſtratus* imponit. Utile vero credidi, de hac veritate quemcunque ſic convincere, & *Politiae Medicae* dignitatem & in omni Republica neceſſitatem peculiari ſermone ulterius exponere.

medicum vel morituris ſaltem ad lectum ſtare, vel in vita adhuc vegeta eodem fere modo a latere eſſe cupiunt, quo Optimates in Republica inter caeteros famulos Aethiopem quoque, oſtentationis cauſſa, alere ſolent. Certe ad aularum luxurias pertinent, uti *divini verbi Miniſtri*, ſic & *Viri medici*, quibus haec mox carere poſſent, quam primum, illorum monitis rariſſime auſcultantes, Principes ſibi ſoli ſuffecerint & paraſiticum omne genus aliud ſervorum procul a ſe voluerint abiicere.

§. III.

Non ineptum ergo videntur adeo conſilium dediſſe viri, medici ordinis oſores ſapientiſſimi, dum (quod Romani olim philoſophis non ſine fructu feciſſe dicuntur) *facultatem* quoque *ſalutiferam* reiici iubent e Republica, civitatemque *ſine medicis*; ſi non magis ſanam, ſaltem in genere multo ſecuriorem promittunt eſſe futuram (*a*).

Hanc ipſam facultatem interrogent iudices, quot non hominum quotannis trucidentur ab imperitis medicis millia ?.. Experientiam conſu-

(*a*) JEAN JAQUES ROUSSEAU Emile, ou traité de l'éducation. I. Part.

lant, quam exiguus eorum ſit numerus, qui artis, quam profitentur, cuiuſque decorantur inſignibus, regulas bene calleant, & dum exercendas ſibi aſſumunt, non, quovis fere die hallucinantes, *Plutonis* ſe optimos ſtrenuoſque in terra miniſtros gerant?.. & fateantur oportet, *gentem medicam* pro magna ſua parte, vel ex *aliena culpa civibus inutilem*, - vel ex *propria Reipublicae eſſe exitioſam* (*a*).

§. IV.

Neſcio igitur, quomodo *Magiſtratus*, donec civitates & medicis uti, & medici artis ſuae dignitatem agnoſcere diſcânt, immoto pectore populorum ſtrages ingentes, mortalitatem ubique auctam, hominumque conſtitutionem in dies degenerantem adſpicere queant, ſine omni conatu, ſerpenti tandem obicem ponendi malo, & quocunque demum remedio ſuccurrendi periculo. Nonne vero navim, irato Neptuno, procellis commiſſam, aegrotante gubernatore, vel ipſe navarchus dirigit?.. ac dum medicorum in ſanos valenteſque cives tam parva ſit auctori-

(*a*) I. E. GILIBERT. L' Anarchie médicinale, où la médecine conſiderée comme nuiſible à la Societé.

tas, nonne forte ipſius *Magiſtratus* paterno opus eſt imperio, quo in generanda prole ſana, in ſobolis educatione phyſica dirigenda, in augendo bonorum civium robore, inque malis tandem, quae ab externis cauſſis corpori imminent, avertendis, deſtruendis, coercendis, in civitate conſervetur ordo, ſecuritas, ſaluſque publica?

§. V.

Haec quidem citra omnem dubitationis aleam poſita eſſe videntur. Verum quantae non res dubiis impugnantur, &, dum Scepticorum claſſis privilegio gaudeat non certe vituperando, de rebus experientia confirmatis, rationes expoſcendi theoreticas, illaſque pro ingenio ſuo, nunc in hac ſuperficie conſiderandi, nunc in illa, ſuumque ſuper his ferendi iudicium, quin experientia ſibi comprobandum aſſumant, quod theoreticis rationibus viciſſe contendunt: mirum certe non eſt, quod & *Magiſtratus* curam in conſervanda civium ſalute aegre tulerint, variaſque in hunc finem rationes oppoſuerint,

Libertatem ſic civibus omnem tandem eripi, inque Principum tradi manus dolent. Iura ſingulorum laedi credunt, ſi cuivis non civi competat propriam ſui ipſius curam vel gerere,

vel etiam negligere. Nullo, neque rigoroſiore remedio omnem civium incuriam poſſe eradicari monent, melioremque in inſtruendis primum populis ponendam eſſe operam docent, qua demum mali radix ipſa praeſcindatur & occaſio proxima (*a*).

§. VI.

Haec vero argumenta nimium probare facile cuique videbuntur, dum legum in civitatibus latarum rationem & origines, non in Victore ſemper Principe milite, ſed apud quam plurimas gentes in ipſa voluntate populi, perſpecta illi ipſi legum bonarum neceſſitate, poſitam eſſe conſideraverit. Quodſi temporum iniuriis conceſſam ſibi Principes in populos auctoritatem extendiſſe nimis videantur: id certe haud inde factum eſſe crediderim, quod, *parentum more*, pro ſalute prolium ſe nimis praeſtitiſſent anxios, vel ut, quaſi *impuberem populum* ad illa adſtrinxiſſent legibus, ad quae peragenda proprius forte naturae inſtinctus, vel ſimplicis rationis uſus ſatis iam iam eundem fuiſſet impulſurus.

(*a*) Uterſuchung der vermeinten Nothwendigkeit eines authoriſirten Collegii medici und einer medicinischen Zwangordnung. Hamb. 1781.

Nonne leges ipſae infractionis pericula ſat abunde demonſtrant? .. vel ſi quid maximo illarum numero poteſt obiici ; nonne *infantiam* ſuam habent & populi, ſub qua, legibus bonis aſſuefieri debeant, tandem, cum in virili aetate ex conſuetudine facturi ſint, quod pueris quondam facere legibus erat ſancitum, iterum emancipandi ? . .

Delirantes cives cuſtodire, ne in ſanos ſaeviant, ſemetipſos e feneſtris in flumina proiiciant non certe improbabunt; aſt vero & populos in furias rapi novimus; legibus ideo non eſſe devinciendos, quis dixerit, non ipſemet mox catena devinciendus ? . .

Meliora tu delirantem doceas ! .. Rationibus moveas *populum heluonem* diaeteticis ! .. Nonne quotidiana ſatis experientia ſenſuſque proprii clamant, *malum eſſe & peſtem Reipublicae intemperantiam* ? .. At temulentum videbis hodie, quem heſterna crapula violentiſſimo capitis dolore vexaverat; neque defunctorum cadavera a vini lithargyrio infecti hauſtu delirantem abſterrere queunt, vel ſi hoc ipſum ſub patibulo iuſſu Principis effunditur (*a*).

(*a*) Ill. BALDINGER, Arzneien, eine phyſicaliſch - mediciniſche Monatſchrift. - Ill. FRANK Mediciniſch. Poliz. III. Band. S. 507. 8.

§. VII.

Plura certe argumenta mihi non videntur requiri, quibus a praeconcepta opinione liber quiſque, de legum, ſanitatem publicam concernentium neceſſitate convincatur. Sed age, *Magiſtratum medicum eſſe feliciſſimum*, paucis nunc exponam! qua certe ratione illuceſcet, quid ex ſanioribus *Politiae* legibus ſibi promittere queant populi!

§. VIII.

Ex maiori civium ſanorum, laboribus quibuſcunque ſuſcipiendis aptorum numero Reipublicae dignitatem recte metiuntur, qui *brachii humani* in augendis & defendendis divitiis vires bene perſpexerunt; hinc in augenda optata prole praecipue verſantur leges, nec illis (natura ipſa ad hoc opus tam egregie ſtimulante) adeo magnae difficultates opponerentur, niſi a peſtifero & indiem creſcente populorum luxu tanti ubique naſcerentur obices; niſi bella tot robuſtos iuvenes puellari ſinui eriperent, & niſi fatali ferro virorum ſaniſſimorum ſpectabilem numerum in multis adhuc Europae provinciis, *ſaeratae manus* parte ſua privarent virili. – Non quod pars maxima eorum *chirurgiae eccleſiaſticae*

vel honorem, vel eiuſdem in *naturam* imperium ſibi tam anxie aſſumat probanda, ſed, quod dolendum, eſt quod ex tot agris fertiliſſimis in patria incultis, nullum ſibi eligere liceat colendum, niſi quem alieno iam commiſſum aratro, vel ſterilem & meſſi ferendae minus faventem ſciant. Concilio Tridentino placuit, *virginitatem* (quod mihi non abſque ratione Patres decrepiti feciſſe videntur) *matrimonio* declarare *meliorem*: & en tot floridos iuvenes patriae ereptos, qui certo fere ſanitatis diſpendio, vel *ſua* ſacrae ſecuri ſubmittunt, vel victrici naturae praelia infelices inferunt (*a*); vel vivis exemplis demonſtrant, alias eſſe leges futuras, quas natura humanaeque circulationis imperium, & Reipublicae ſalus a iuvenibus viris — alias, quas *Roma* in Concilio a Patribus efflagitaret.

Quid vero apud incautos, qui reluctantibus renibus caſtitatem vovent, medicorum ſaniſſima monita, quid famoſiſſimorum apud infelices voti ſui martyres aphrodiſiacorum virtus praeſtare valeat, niſi ſua tandem a Principibus naturae reſtituantur iura, atque maior ſalutis publicae (*b*), quam *effati ſenilis* habeatur tan-

(*a*) Dringende Vorſtellungen an Menschlichkeit und Vernunft um Auf hebung des eheloſen Standes der catholiſchen Geiſtlichkeit. S. 184. 227.

(*b*) P. C. AB HOHENTHAL. lib. de Politia p.

dem ratio? - Quantos non iam IMPERATORIS MAXIMI in genus humanum clementia per effracta coenobiorum ferrea clauſtra virginum Veſtalium morbos fugavit, quibus omnis medicorum chorus impar fuiſſet expellendis! .. Aſt quot non expelleret vinculorum virginei uteri ſolutio, illaque diffringendi commiſſa in votis *fratribus* licentia!

§. IX.

In arborum fructiferarum omnis generis optimarum copia ubique introducenda & augenda laborant civitatum antiſtites, & certe non ſine inſigni emolumento, tam oeconomico quam &

18. „ Docet, inquit, diligens hiſtoriarum ſtudium, evincit quotidiana experientia, atque demonſtrat ipſa rerum publicarum natura ad ſalutem i. e. ad conſervationem & potentiam Reſpublicae numerum ſeu copiam conducere incolarum, & nemo negabit, qui in cognoſcenda hiſtoria ſatis attendit, quibus modis Reſpublicae ſenſim creverint. Quantam, inter veteres, adhibuerunt Athenienſes curam ad augendum civium numerum! Quantam Romani!" - Huc ſpectat & Iuſtin. Imp. illud. novella CXL. „ Nihil, ait, in rebus mortalium perinde venerandum eſt, atque matrimonium: quippe ex quo liberi omniſque deinceps ſobolis ſeries exſtat, quod regiones atque civitates frequentes reddat, unde denique optimae Reipublicae coagmentatio fiat ".

medico, id facere, docet experientia. Animalium quoque domeſticorum ſpecies peregrino & perfectiore ſemine renovare, equorum iumentorumque naturam & formam corrigere, neque parvis omnino expenſis, meliori ſanguine nobilitare ſatagunt. Miramur quantum in his poſſit, & non longa temporis mora perficiat humana induſtria. Dum in his fere toti occupati ſunt Principes, quantum ſibi ipſis contradicunt, qui generis humani culturam penitus negligunt, atque dum vident caeterorum animalium naevos peregrino ſemine tam eximie poſſe corrigi, hoc tanto beneficio, non modo cives ſuos privant, ſed & contrariis omnino legibus impediant. Sunt Principes, qui, dum ſubditorum non multa millia ſibi commiſſa ſciant, numeroſum tamen militem, eumque ex robuſtiſſimis ſtatura corporis praeſtantioribus iuvenibus quotannis ſeligunt, tempore verno, ac ſi mox Reges forent impugnaturi imperiumque ſubverſuri, in armis ſtrenue exercent; per reliquum vero anni tempus urbibus includunt, ubi otioſiſſimam vitam degunt armigeri iuvenes, hinc voluptatum omni generi & crapulae ſeſe committunt, nec non magnam captivitatis ſuae partem in noſocomiis tranſigere coguntur, a medicis chirurgiſque nunc *exercendi*. Aſt quid in his facultatis medicae vires praeſtent, docet triſtis eventus. Elapſis ſcilicet ſex

& ul-

& ultra annis, quos ſic tranſigunt miſeri, moribus diſſolutiſſimis, viribus non *Marte*, ſed *Mercurio* fractis, ſanguine infecto deſtructiſque nervis, iam ad patrios lares revertuntur: ubi tandem, *gratioſam ineundi matrimonii facultatem* lucrati, puellas vel aetate iam provectas, vel eas ducunt, quas ob formam iniquam aliaſve, tam phyſicas, quam morales rationes grex iuvenum imperfectior, vitae militari pridem inapta, ipſis reliquerat ducendas! Ducunt nihilominus, & vel eas mox deteſtabili morbo inficiunt, vel prolem creant debiliorem, ſuccis nerveis orbatam, moxque a partu vel perituram, vel quae languentium civium numerum & generis humani depravationem phyſicam nec non moralem ſit auctura.

Praeſcribite medici pharmaca, tollite morbos parentum in filios tranſplantatos, & paucos tandem ex tanto numero cives diutius Reipublicae conſervate!.. Quid vero Principes, ſi forte aures veritati porrigere, cauſſaſque mali praeſcindere voluerint, eſſent praeſtituri? – Nonne lex eadem, quae in *Equariis* obtinet, ſummos quoque in nobilitanda civium progenie & corrigendis populorum naevis habere poſſit effectus, per quaecunque medicamina nunquam imitandos? Relinquant ergo triſtes bellorum adparatus Regibus, ſuoſque iuvenes forma praeſtantiores agris

Op. Med. Vol. V. F

patriis conſervent, & vegetis impendant ſerendis prolibus! patrium ſanguinem cum alio eoque feliciore commutent, nec facile inter *agnatos*, ex quibus totus fere pagus omnis ſaepius componitur, ſaltem inter proximos, matrimonia permittant: cum nec agri quotannis eodem impraegnati ſemine optatos ſegetes ferre, nec animalia caetera ſine damno fratres ſororibus propriis ſeu germanis commiſceri videant (*a*)!

§. X.

Partus homini ob capitis figuram ac molem, difficilior, multaque matrum ab illo ſunt pericula. Quare adiumento ſibi mulieres partum iam ſaepius expertas voluerunt parturientes antiquiſſimis iam temporibus (*b*), atque in magnis

(*a*) Perill. de BUFFON, allgemeine Hiſtoire der Natur. II. Th. 2. Band.

(*b*) Sic SOCRATES in pulcherrima allegoria, qua in Theaeteto docendo utitur & cuius elegantem in germanicam linguam verſionem dedit deutſches Muſeum 1778. 9tes Stück. S. 214. ait; „ Du weiſt ja doch Theätet, daſs keine einzige Hebamme andern in Geburtsnöthen hilft, ſo lange ſie ſelbſt noch empfangen und gebähren kann, ſondern nur ſolche dazu gebraucht werden, die nicht mehr gebähren können? - Den Unfruchtbaren hat Diana nicht erlaubt Geburtshülfe zu leiſten; Weil die menſchliche Natur zu ſchwach,

honoribus obſtetrices matronas habere ſolebant. Quandoquidem *Graeci* medicas manus, quaſi *Deorum* eſſe exiſtimabant, hinc honeſtiſſimam erga aetate grandiorem foeminam adlocutionem cenſebant, ſi illam *μαῖαι*, obſtetricis vocabulo, tamquam inſigni praefamine compellarent (*a*). Quin obſtetrices etiam haud raro Εἰλειθυίαι, quaſi *Iunonis Lucinae* filiae ſalutabantur (*b*). *Lucina* vero parturientibus praeeſſe credebatur (*c*). At dum ſub his manibus naturalis partus ſat feliciter procedere ſolet, quantae non ſub omni ſitu prolis iniquo perverſove difficultates quotannis debebant oriri! Habuit quidem & antiquitas ſuos quandoque obſtetricios viros (*d*), ſuosque *Deos nixios*; ſed leges ſeverae, queis ſexus ſequior apud quam plurimas gen-

---

iſt als daſs ſie eine Kunſt treiben könnte, wovon ſie ſelbſt nie Erfahrung gehabt hat u. ſ. w.

(*a*) Heſych. voce *μαῖα*. HOMER. odyſ. T. V. v. 482.

(*b*) SPANHEIM. in Callim. Hymn. in Iov. v. 12.

(*c*) TERENT. Andr. Act. III. Sc. I. v. 15.

(*d*) Ex defectu nominis obſtetricii viri in linguis vetuſtioribus, nullam virorum circa haec operam agnoviſſe veteres, neque in ipſa *Gallia* ultra ſaeculum extitiſſe tales, contendit auctor libri, „ de l' Indécence aux hommes d' accoucher les femmes. Trevoux. 1744. p. 2. 10. & Bayl. Dictionnaire.

tes ſubiiciebatur, vix locum dederunt illorum manibus (*a*). Primum virum obſtetricium *Hamburgi* publice fuiſſe combuſtum refert D. NORTANGEL (*b*). Certe primi *Ducatus Wirtembergici* obſtetrices viri, opiliones fuerant, qui ſe huic operi publice conſecrabant ſuaque inſtrumenta habebant, uſque dum anno 1578. hoc ab officio removebantur (*c*); quod ſaltem demonſtrare videtur, in *Germania* non prius hanc provinciam ſibi aſſumpſiſſe medicos, quam, dum minus moroſas *Galliae* genitrices & *Germaniae* tandem imitabantur mulieres. Auxerunt mox inſigniter artem fere novam viri de genere humano maxime meriti, inter quos laude mea maiorem nominaverim Ill. WRISBERGIUM, atque nunc iam partem ſiſtit ſcientiae medicae vix non perfectiſſimam, certiſſimiſque regulis ſuffultam.

Partus vero abſolvant, *favente Lucina*; difficillimos, & proles ſervent Reipublicae quam

---

(*a*) In partu, mulierum teſtimonium ſufficit, quoniam *virorum*, propter pudorem, *nemo* admittitur. Digeſt. L. I. art. 10. §. de ventre inſpiciendo.

(*b*) Vid. deutſches Muſeum 1778. 2. Stück. An ob crimen commiſſum, an officii cauſſa?

(*c*) Wegen ihrer Unbarmherzigkeit und groben Inſtrumenten auch um chriſtlicher Zucht Willen. Nachrichten von den Geſetzen des Herzogthums Wittenberg.

plurimas! Quid hae ſunt, quaeſo! ſi comparare volueris cum illis, quas rudis muliercularum obſtetricantium manus quotidie in omni male ordinata Republica occidere ſolet? & quantos non Principes optimi foetus conſervavere, mox ubi ipſas mulieres obſtetrices rectius curarunt inſtrui, & quam primum incepere primariam ſic infortuniorum radicem praeſcindere, quae ex craſſa obſtetricum ignorantia ac audacia incredibili procreſcebat (*a*). O quae Vos Principes

(*a*) Tres potiſſimum neglectae rei obſtetriciae cauſſas deprehendit Cl. LANGGUT. *Prima* eſt, quod viri Principes, qui eiuſmodi inſtituta fulcire vel condere queant, formam & conditionem eius rei triſtiſſimam cum innumeris malis, quae inde manant, non rite noſcunt, aut certe non ita perſpectam habent, ut ex illo faſtigio, in quo collocati ſunt, ad hanc infimae plebis miſeriam demiſſi, eius gravitate atrocitateque ſatis commoveantur. *Secunda* eſt, quod, qui malum non ignorant, vel modum ac viam invenire non poſſint, qua huic ſuccurrendum ſit, vel aliis diſtracti negotiis animum ab hac parte avertunt. *Tertia*, quod ſumptus ad inſtituta ex hoc genere neceſſarii vel nimis magni videantur, vel incompertum ſit, unde peti debeant. Chriſt. Aug. LANGGUTH. Proluſio de cura, qua Reſpublica proſequi debeat rem obſtetriciam. Wittenberg. 1782. p. 5. - *Quartam* addere potuiſſet Vir doctiſſimus, quod Amaſiarum, Venationum, Equorum atque ſpectaculorum ſumptus omnes alias in rem minus allicientem expenſas utplurimum praepediant.

inſtituta exſpectant nobiliſſima, ſi numeroſae ſanaeque gentis pretium cognoveritis, ſique magis in his, quae adſunt, conſervandis, quam in quaerendis incertis divitiis verſari Vobis tandem placuerit!

§. XI.

Natam patriae prolem ſanam vegetamque conſervari intereſt multum, & in his revera plurimum iam praeſtiterunt medicorum conamina feliciſſima. Quantum non omnes boni debent beatae *Roſenii* memoriae, & qui eius de *infantium morbis* tractatum in linguam germanam tranſtulit eximieque auxit, Ill. MURRAYO. Aſt quantam adhuc ſtragem edunt neglecta matrum officia, nutricumque fraudes impiae, ac medicorum ipſorum circa morbos infantiles inexcuſabilis incuria! – *Veterinariae artis* felicem in Republica uſum experientia teſtatur: pecudum morbos tractare didicerunt viri indefeſſi cum inſigni civium lucro; dantur tamen, proh dolor! medici, iique non pauci, qui ad parvulos vocati, illorum planctibus, quod loqui non poſſint, immoti reſiſtunt, vix pro forma eiſdem largiuntur, abſque cauſſarum cognitione, remedia, quaeque primum memoria ſuggerit. – Haec omnia, ſi curae eſſent *Magiſtratui*, quantos non, brevi

annorum ſpatio, cives eriperet fato, quantumque rem ſuam augeret, ſi infantilem aetatem in Republica magis diſtingueret, mortalitatem eius ſtupendam attentius conſideraret, inque huius demum cauſſas *evitabiles* magis inquireret! – Quos non *Inoculationis* beneficium conſervavit, & correcta tandem ab hoc methodus variolis medendi naturalibus! – Quam multas MAGNAE IMPERATRICIS CATHARINAE II. exemplum proles mortis eripuit faucibus, poſtquam parentes PATRIAE MATREM ſecuti, filiis mitiorem morbum dare, quam peſtilentem exſpectare maluerunt, in quo medicorum ars nec a longe quidem inoculationis felicitatem attigit!

§. XII.

Dolent medici omnes, ob praematuram iuvenum venerem, & *ſenſibilitatem* ſequioris ſexus auctam a lectione librorum frivoliſſimorum, imaginationis vim ſummopere irritantium, & a vitae ratione ſanitati infenſiſſima, exercitatione omni deſtituta ſoliſque fovendis animi pathematibus dicata, in tantum volumen excreſcere morborum catalogum, neque ſufficere amplius artis efficaciſſima praeſidia renaſcentibus mortiferi ſerpentis aculeis ubique cito ſatis reſcindendis: cauſſas mali in vanum enumerant adque matrum ſobriarum quondam, corporis laboribus magis ad-

ſuetarum vitae normam inutili clamore revocant. Quare, aucta ſenſim malorum graviſſimorum caterva, ſummam tandem populorum ex his uteris genitorum miſeriam facile praevident, qua, enervato iam corpore, non tantum ad maiora mala chronicoſque & inſanabiles morbos diſponimur (*a*); ſed & animus civium omnimodo deiicitur ac incredibili efficacia peſſundatur (*b*).

Londini iam obſervante SUSMILCH, cum ex una parte eorum, qui ob crapulam interire ſolebant, numerus quidquam eſſet imminutus, ex altera *Suicidarum* copia ita aucta eſt; ut, cum circa annum 1690. inter 10000. extinctorum, necdum 10. reperiebantur, qui ſemetipſos trucidaſſent; circa annum vero 1756. ad dimidium fere ſuicidarum increverit numerus (*c*). Pa-

(*a*) Apoplexiam, Paralyſin & Arthritidem in *Anglia* quotidie numero augeri & pro ratione luxuriae in hoc Regno, nec non in *Irlandia*, *Flandria*, *Hollandia*, *Normandia* copioſiores frequentioreſque fieri propria experientia teſtatur, Ill. GRANT, Beobachtungen über die chroniſche Krankheiten p. 9.

(*b*) Melancholiae & maniae exempla noſtris temporibus ita aucta eſſe in *Britannia*, ut hi morbi numero comparari cum priſtinis plane non poſſint, refert ARNOLD. Obſervations on the nature kinds and prevention of Inſanity Vol. I. pag. 27.

(*c*) Göttliche Ordnung in den Veränderungen des

ri paſſu malum & in aliis proſerpit regionibus, ut nunc in *Gallia*, nec non *Germania* diverſis in provinciis *Suicidarum* quotannis augeatur frequentia, cuius quidem deplorandae rei cauſſa, non niſi in ſyſtematis nervoſi nimia ſenſibilitate quaerenda eſſe videtur, utpote cui generandae multiplices iuventutis errores, veneris abuſus, praecipue vero deteſtandi *onanitici* criminis conſuetudo (*a*), & quae ſunt reliquae luxuriarum ſpecies, abunde ſufficiant (*b*). Quid vero ſi medicorum incaſſum hucuſque adhibita ſunt monita, *Magiſtratuum* auctoritas in tantis aerum-

---

menſchlichen Geſchlechts. 1. B. S. 549. 3e. Edit. --

(*a*) Vid. TISSOT de l' Onanie.

(*b*) Inſigniter falluntur, qui Suicidarum actionem ex illis iudicare contendunt, quae in eorum cadaveribus vel adeſſe praeternaturalia, vel omnino deeſſe inveniunt; Quis enim medicorum inficias ibit, ex obſtructionibus, quae tam ſaepe abſque melancholia reperiuntur, non ſequi neceſſario illam mentis perturbationem, vel & hac ſaepe numero homines poſſe corripi, quin vel minima a nobis detegi queat in ſubtiliſſima corporis praecipue ſyſtematis nervoſi fabrica, a naturali conſtitutione, aberratio? cfr. de his, I. M. WINTER. Quaeſtio medico legalis: *An ſectio anatomica* in cadaveribus de Autochiria ſuſpectis. Heidelb. 1776. - Vid. Delect. Opuſc. Med. Vol. I., ubi ſerius recudi curavi hanc Diſſertationem. Item ERN. GOTTL. BOSE, de morbis mentis delicta excuſantibus. Lipſ. 1774. &c.

nis non ſit profutura, ſi maior educationis publicae morumque iuvenilium cura haberetur? . . Certe ni in pueritia firmetur corpus nervique ludis roborentur gymnaſticis, impar eſt ut plurimum animus gravioribus in aetate virili ferendis calamitatibus. Vel ipſi ruſtici a re familiari inſtructi, ſeu ditiores, mox ubi laboribus ſtrenuis ſe ſubtraxerint, in hypochondriacum malum incidere ſolent, ita ut in *Helvetiae* pago quodam opulento, nec unica quidem domus ſuperſit, in qua non aliquis, vel fune, vel alio quocunque violento modo vim vitae ſuae intulerit (*a*).

Nec dubitandum eſt quidem, quin, ſi ſic continuent foeminea educatione uti cives, ſi pergant iuvenum animos aſſidua librorum mentem quaſi convellentium lectione emollire (*b*), atque omne genus voluptatum immaturis labiis delibandum porrigere; tandem vix non univerſa Reſpublica ſic dicto *Spleen* ſit laboratura,

(*a*) Ill. ZIMMERMANN, von der Erfahrung in der Arzneywiſſenſchafft, II. Th. IV. Buch 8. cap. 586. pag.

(*b*) Die Lectür von Büchern, die blos für die Einbildungskraft geſchrieben ſind, kann endlich unſer Gehirn mit ſchwärmeriſchen Bildern häufen: Die Heldenbücher können *Don Quixotte*, und die Feenmährchen *Don Sylvios* machen. WEICKARD *philoſoph.* Arzt. IV. Stück. 108. pag.

cuius mali inſignis iam doſis ipſius *Galliae* civium animos obſidet, quae quidem gens maximas quondam aerumnas hilari animo ferre ſolita, nunc quaſi degenerata tot *Suicidarum* exempla exhibet: vitiis ſcilicet ex depravata educatione admodum auctis, ſanitate deperdita, per conſcientiae morſum mente ad deſperandum adducta (*a*), &, quod non minimum eſt, enormi tandem rerum pretio, & poſſidendarum dura neceſſitate per luxum apud quamplurimos populos de die in diem adauctis.

Magnum certe, nec niſi veſtrum eſt, o *Principes* & *Magiſtratus*, opus, facere, ut mens ſana habitet in civium corporibus ſanis! Iuventutis maiorem habeatis rationem, ne pro viris acquiratis foeminas, a minori quacunque cauſſa ad fletum lethalemque animi deiectionem movendas, - quibuſcunque morbis, inprimis nervoſis, qui hodie vix non ubique vigent, obnoxias. Gaudeant tandem populi de ſua ſub auſpiciis veſtris exiſtentia, vel ſaltem animis eorum atque curis fucum faciatis: ut *dum fuerint*, ſaltem *ſe non credant eſſe infelices* (*b*).

(*a*) Bemerkungen eines Reiſenden dureh Deutſchland, Frankreich, England und Holland. 4. Th. S. 87. 88. cfr. & GOTTFR. LESS vom Selbſtmorde. Gött. 1776.

(*b*) Les armateurs négriers, pour qui un homme eſt

Nec enim credere oportet, nullum Vobis eſſe in deſperantes etiam imperium.

Mileſii quondam & ſuas virgines ignota de cauſſa mente ſubito alienatas, indieſque crebrius, quin ulla ad id adhibita medicamina furorem infringerent, mortem quaerentes, ſolo hoc decreto abſterrere poterant, quo corpora a ſemetipſis ſuſpenſa, cum eodem laqueo, quî eſſent pervincta, nuda efferrerentur; neque difficile erit legibus id ſaepius efficere, ad quod *Hellebori* viribus attingere haud licet. Certe penes Vos eſt, Antiſtites, medicorum in cives veſtros auctoritatem, forti virilique populo inhoneſtam, amovere; nec enim illico requiruntur *pharmaca*, ubi opem ferre adflicto morboſque imminentes avertere *brachia* queunt.

---

une propriété & ſa conſervation un objet d' intérêt ont reconnu, combien le *chagrin* & la triſteſſe ſont funeſtes a leurs eſclaves & la plupart de ces armateurs payent des inſtrumens pour les égayer & même pour les faire danſer. Sont - ce ces commerçans, qui ont donné, l' exemple à quelques Gouvernemens, où qui l' ont reçu d' eux? c' eſt - ce qui eſt ſuperflu d' examiner. Au reſte *ſi tous ſentimens vifs, ſi l' affliction ſur tout eſt fatale à l' exiſtence, l' abſence de tout ſentiment ne l' eſt pas moins*. MOHEAU. Récherches & conſidérations ſur la population de la France. Chap. 8.

Digitized by Google

§. XIII.

Populus paſtor vel & venator, certis locis domicilia ſua nunquam figit; neque patrum noſtrorum conſtitutio urbium quondam moenia perferre voluit, felices, ni luxus haec illis tandem circumduxiſſet (*a*), & *latinae* gentis vitia (cuius libido impia ſemper haec fuit, vel *armis* populos fortiſſimos vincere, vel *ſuperſtitionibus*, vel *mollitie* ſibi reddere ſubiectos) catenas illis inieciſſent!

In quantum pro votis aërem mutare, ſibique, pro lubitu, mox hunc, mox alium habitationis locum eligere poterant populi priſci; vix tunc vel illius, vel humi errores perſentiebant eorum corpora, leviori a cauſſa haud facile movenda (*b*). Verum enim vero cute non amplius urſina pelle, ſeu cervina contecta, exſiccatis undis frigidioribus, quibus corpora ſua

(*a*) Certum quidem eſt, hominum extra ſocietatem viventium corpora morborum moleſtia non prorſus carere; quiſque tamen naturae humanae bene gnarus facile intelliget, ipſam rerum externarum communionem multa nova innumeris bonis mixta mala conſociatis hominibus intuliſſe. ERN. HEBENSTR. Diſſert. de Sanitatis publicae Cura apud veteres. Lipſ. 1779.

(*b*) ANT. GUIL. PLAZII Diſſert. de ſalubritate & inſalubritate habitationum. Lipſ. 1781. S. 1.

committere ſolebant & ferrea reddere, - libertate demum amiſſa, deieċtiſque animi a vitio viribus, queis *Romanos* quondam domabant *Germani*, atque giganteo corpore vicinis *Gallis* terrorem incutiebant (*); mox habitationum inſalubritas inſigniter cives afficiebat, nec non integrae provinciae *ſoli* vitio ſignatae, eodem fere notabant ſocietates hominum nunc uni loco affixas. Tunc temporis tandem, crediderim, *endemios morbos* primum apud nos fuiſſe ortos: cum inter animantia caetera vix multa dentur mala, eidem claſſi non ubique fere locorum communia; neque tam facile aequali modo morbis afficiantur corpora aëri liberiori expoſita, tranſpirationis copioſae beneficio gaudentia, & quae denique pathemata animum perturbantia plane ignorant. Abhinc querelae urbium & habitationum innumerae, quae mortalitatis rationem multo maiorem experiuntur prae caeteris rure degentibus hominibus: ita ut Principes civium ſaluti certe parum proſpiciant, dum urbes populoſiores partitis hominum ſocietatibus praeferunt. Medicorum gratiſſima ſedes grandiores urbes ſunt, atque in his morborum quoque ipſum inprimis habitaculum eſt, *ut hinc ſcalam ſanitatis publicae nec non morum videantur ubique exhibere*

(*) Iul. Caeſar, de bello gallico Lib. II.

Digitized by Google

medici, quorum numerus augetur, in exceſſuum, quos ſibi maiores urbes conſueverunt permittere, nec non in ſoli tandem infelicioris ratione, cui illae ſunt ſuperaedificatae.

Certe moenia eadem & cives & *morbos* urbibus includunt infenſiſſimos. Ad inſignioris urbis muros aqua putrida & ſtagnans tempore unius anni, bis mille hominum febre necavit, vaſa culinaria in vicinis domibus aerugine obduxit, neque caro in illis ultra aliquot horas a putredine conſervari potuit (*a*). Febris Upſalienſis pariter a foſſarum quarundam noxiis halitibus producitur (*b*). Talis fuerat Stuttgardiana febris in *Germania* quondam notiſſima. Ad moenia civitatis, orientem verſus & planitiem, qua ad Nicrum fluvium patet, unius horae intercapedine illinc diſſitum, olim fuit piſcina ſeu ſtagnum ampliſſimum plurium iugerum. Ab hoc loco oriebantur a multis annis febres intermittentes non amplius *epidemicae* ſed *endemicae* valde rebelles ac diuturnae, quae proinde febris Stuttgardianae nomen intulerunt. Cum vero accideret, ut ſtagnum illud certo ſine exſiccatum in amoeniſſimum pratum converteretur, ex

---

(*a*) Ill. SENAC. de recondita febrium intermittentium natura pag. 18.

(*c*) Beatus LINNAEUS de febr. Upſalienſis.

eo tempore febres intermittentes adeo rarae ſunt, ut ne ſemel quidem epidemiae nomen meruerint, ſed ſporadice ſaltem nunc hunc, nunc illum invaſerint etiam hactenus curatu faciliores (*a*).

Quam primum poſt multas pluvias circa *Lipſiam* aquae ſtagnabant, ſub ipſo ſtatim tempore morbos epidemicos oriri, atque febres, purpuras (quae illinc inter endemias numerabantur morbos) frequentius haberi in iis & periculoſiores, & quae ut plurimum iunguntur petechiis, teſtatur ADOLPHI (*b*). Eadem fere tradit PANAROLUS de coelimontana regione: Anno 1601., aqua *Marana* ſuo alveo extra portam coelimontanam egreſſa, in proximis vallibus ſtagnabat, ubi, cum diu corrupta haeſiſſet, per vim ſolis putridos vapores emiſit, qui circumquaque vicina loca afficientes, miſeros incolas, aut interitu aut fuga perdiderunt: donec per ſuffoſſam cloacam, iuſſu CLEMENTIS VIII. ſtagnans aqua alio derivata fuit, & collis antiquae clementiae reſtitutus (*c*).

Ory-

(*a*) Epiſt. Roſ. LENTILII ad LANCISIUM oper. var. Tom. II. pag. 138.

(*b*) De aëre, ſolo, aquis & locis Lipſienſibus S. XXVI.

(*c*) LANCISIUS de noxiis paludum effluviis cap. 1. pag. 190.

Oryzae cultura quam plurimas *Italiae* urbes inficere ſolet ſuo infelici halitu, inque regione *Mediolanenſi* ruſtici hoc opus in ſolo inundato percurantes, ante quadrageſimum iam annum hydropici Reipublicae eripiuntur (*a*). Quare & urbs ipſa Metropolis privilegio gaudet, quo ad milliaria aliquot Oryzae cultura plane prohibita eſt (*b*). Tanta in terris illis fluviorum aquarumque ob terrarum planitiem ſtagnantium corruptio eſt, ut vel ipſi homines, qui ſeſe aquis hiſce exponebant, deterrimos ſint experti effectus. Quam ob rem & in *Dalmatia* iam anno 1407. ſtatutis Curzolanis inhibitum fuit, „ ut, nemo audeat, vel praeſumat a medio menſe Maii uſque ad medium menſem Septembris intrare aliquod flumen morboſum, ſicuti eſt, *Naranta*, *Boiana*, *Durachium* &c. (*c*) " *Leutiae* & *Ceſinae* aër, & apud conterminos & apud indigenas peſſime audit: cum rarum ſit inter huiuſmodi locorum incolas longaevos invenire,

(*a*) Nouveaux mémoires, ou obſervations ſur l'Italie & les Italiens.

(*b*) Italiaeniſche Bibliothek I. Th.

(*c*) GIOV. TARGIONI TOZZETTI, Ragionamento ſopra le cauſe, e ſopra i rimedj dell' Inſalubrità d' aria della Valdinevole Tom. I. p. 274.

aut utriuſque ſexus ſive impuberes, ſive aetate conſiſtente provectave, bene coloratos videre. Id vero nequaquam obtinebat luſtra ante plurima, cum eorum, qui adhuc vivant patrum memoria prope dicta rara *Plavi* ſeſe devolvente, neque ſaliceta aderant neque aquae ſtagnabant (*a*).

Quid quod derelictas urbes ab aëris inſalubritate doluerit *Italia*. *Aquilea* civium quondam multitudine florentiſſima, adeo ut ad metropolitanam ac inde patriarchalem dignitatem evehi mereretur, noſtro aevo vix reliquias aedium veteriſque fortunae retinet veſtigia, nullis aliis armis, quam corrupto ex aquis haerentibus aëre, everſa. BRUNDUSII urbis quondam celeberrimae vicem his verbis dolet ANTONIUS Galatheus: „ quin etiam & urbes ſub ſalubri coelo poſitae deletae ſunt, ſic ut homines, ſic & urbes fata habeant ſua: ſed civium negligentia urbem hanc diffamavit, quae ſi aquae ſuos exitus apertos habuiſſent, nunquam tale nomen aſſecutura fuiſſet ". Contra vero Principum beneficentiam experti Piſaurenſes, puriorem aërem, paludibus exſiccatis, ducere coeperunt, atque ubi olim pauciſſimi mortales annum quinquageſimum vel attingebant vel ſupe-

(*a*) Loc. cit.

Digitized by Google

rabant, hodie quamplurimos longaevos ultra aetatem illam alit (*a*).

Quid ergo deſudant in debellandis tantis cauſſarum effectibus medici? Quid lucri capient tandem Reſpublicae a paucis artis auxilio reſtitutis, cum interim maxima pars civium, diverſiſſimis morbis, praematura morte abripiatur? Adgrediantur tam iniquae ſortis cauſſam Principes, & en mox ſegetem ditiſſimam medicorum falcibus ereptam, malumque diriſſimum mox radicitus exſtirpatum; dum ſcilicet, *Magiſtratus* manum admovere coeperit, & paludes exſiccari, & foſſas profundiores fieri, & amnes celeriori curſu duci iuſſerit: quibus peractis, loco febrium ex paludoſo ſolo, fungorum more, progenitarum, pecoribus pabulum, civibus vero ſaluberrimae plantae mox amoeno caule florebunt.

(*a*) LANCISIUS l. c. p. 137. 138. Longaevitatis varia ratio, & ſalubritatis & morum ſolet eſſe menſura. - In Inſula *Oleron* inter 14000. incolas, non ultra 5., aut 6. numerantur *octogenarii*. In urbe *Marennes*, valde inſalubri, inter 5852. incolas, I. *octogenarius*: cum interim in ſola paroecia d' *Ambrun*, dioeceſeos condomenſis, ſicco ac petroſo loco, aquis ſaluberrimis praedito, inter 130. incolas 20. ſunt reperti *ſeptuagenarii*, 10. vero *octogenarii*. In Inſula *Ré*, ſaniſſima, inter 42. mortuos, unus eſt *octogenarius*, & in urbe ipſa unus eſt inter 34. Récherches & Conſidérations ſur la population, Moheau. p. 191.

Merentur vero praecipuam hic attentionem urbes munitae, vel quae, varias ob cauſſas, ſuis tandem munimentis ſpoliantur, paciſque & artium, vel & muſarum ſedem nunc conſtituunt. Foſſae tunc avertendis inimicis non amplius dicatae negliguntur, aquis corruptis, foeditiſſimis & coeno ſordido ad dimidium replentur, inſectis plantiſque putreſcentibus quaſi aequantur, ac totam urbis atmoſphaeram halitu inquinant venenoſo, quo morbi generantur innumeri & vel ſimpliciſſimae febres continuae in petechiales ac malignas commutantur.

Certe *Pallas*, cum ſapientiae muſeum conditura eſſet in *Graecia*, non locum craſſo aëri obnoxium atque ingeniorum alacritati fertilitatique parum commodum; ſed in *Attica* ſaluberrimum, optima aëris temperie commendatum elegit (*a*). Quare a ſolo dependet *Magiſtratu*, non a medicis, levioribus etiam expenſis ſalubrem aërem reſtitui, foſſas inutiles, peſtilentem fomitem in ſe nutrientes, ſoliſque ſub ardore coquentes, in amoeniſſimos converti hortos, queis arborum fructiferarum copia, floreſque balſamico ſuo halitu atmoſphaeram corrigentes colantur, victuſque vegetabilis ſaluberrimus inſigni cum emolumento adaugeatur.

(*a*) PLAZIUS l. c.

§. XIV.

Sed quantas non ubique incedere videmus comptiſſimas capite & amictu ſuperbas mulieres, quarum interior corporique propior tunica viſum foeda ſorditie laederet! En urbium imaginem, quae ſolo fertiliſſimo gaudent, ſummeque amoeno campo ſitae ſuperbiunt, dum interim ſpurciſſimae ſunt, & inverſi munimenti ideam exhibent, in quo foſſae paludeſque hoſtem alias ab ingreſſu repulſurae, ipſos nunc intro cives ſuffocant.

Quodſi hi numeroſi fuerint, & inter illos degeant plures, ſedentariam, ſcientiis conſecratam vitam ducentes; nonne abhinc morbos generari dixeris, & civibus & litterati infenſiſſimos, quos non tam medici, quam *Magiſtratus*, impuram cloacam purgari, purgatamque a nova impuritatum, negligentia accumulatarum, recollectione praeſervari curantes, auferre, multoſque ſic patriae utiles conſervare cives, viroſque forte ſibi a peregrinis concreditos iuvenes non ſcientia tantum & artibus imbutos, ſed & ſanos vegetoſque reſtituere poſſint? Quodſi ranae in coenoſis ſuis domiciliis natae ac enutritae paludes ament, nec ab illis quidquam pati videantur; piſces tamen illis incluſi mox infectis roduntur, ſplendorem amittunt, atque aegrotant.

Certe aëris purioris hauriendi gratia & illae, paludes ſubinde relinquunt, ad prata ſicciora tranſilientes vires recolligunt; ac ſi piſcibus datum eſſet, itineris ſanitatis cauſſa ſuſcepti ſocios agere, tardius omnino & hi offenderentur. At ne parabola abutamur, ſuccincto ſermone pro certo ponimus, vix ullam medicorum in eos morbos auctoritatem eſſe, quorum cauſſae ab aegris evitari haud queunt, ſolumque fere in his Politiae opus eſſe, conſervationem Reipublicae. Quis oculorum endemias inflammationes, a ſabulo per ventos in aëra difflato, inque foro publico verſantibus, inevitabili fato oculis involitante, praevertere valeat medicus?.. curavit, ex parte ſaltem manus *Imperatoria:* quae non ita pridem Viennenſibus onus, ſi cives ſuos, ſi peregrinos, ſi ſemetipſos ament, gratum impoſuit, irrigandi ſaepius de die plateas, pulveriſque a ventis ſollicitati futuram elevationem noxiam, aquarum repetita miſtura impedire. Quis medicorum, agmen morborum a Republica avertere poſſit, quod a vinis, cereviſiis per impiam fraudulentiam veneno infectis, vel negligenter praeparatis, quod a carnibus ſemiputridis, vel morbo animalis praegreſſo contaminatis, quod per vaſa ſtanno impuro, plumbeo obducta, in magnam civium ſtragem, haud raro inducitur?.. Quis vitam tot hominum a collapſuris aedibus,

Digitized by Google

tam publicis, quam privatis, praeſervet, niſi his omnibus tandem cauſſis Reipublicae interitum minantibus, leges ſanae ponant obicem? . . Quis demum & luxuriae & crapulae & vitiorum omnigenorum effectus in ſanitatem publicam praevertet alius, niſi eaedem leges, quarum a medico datarum apud ſanos tanta nonnunquam eſt vituperatio?

§. XV.

Saltem in gravioribus morbis curandis feliciores erunt medici, quam *Magiſtratum* in avertendis malis phyſicis valuiſſe novimus! Optaremus certe hoc nos, de arte, quam profitemur, poſſe aſſerere.

Quid vero poſt tanta, in rabiei caninae curatione, experimenta profecimus! anne vere reſpondent laboribus indefeſſis virorum in arte ſummorum ſucceſſus!.. O quam longe adhuc a ſpecifici remedii, contra virus hoc triſtiſſimum, inventione diſtamus, quamvis negandum non eſt, medicum peritum tempore adhibitum, ſaepius vincendo malo non eſſe imparem, atque poſt varia pericula miros ſatis expectatoſque effectus praeſtitiſſe belladonnam (*a*).

(*a*) Cfr. BURCH. FRID. MUNCH Diſſ. de bel-

Ponamus, quod tamen haud eſt, vel tertiam rabioſo dente vulneratorum partem a medicis curari feliciter, poſtquam miſeri, illorumque familiae, vel a ſolo terrore futurorumque metu non iniuſto, ſanitatis fecerant iacturam, – quot non cives ab hoc diriſſimo malo defendet *patria Principum* providentia, quando canum in omni civitate innumerum fere exercitum exulare voluerit.

Urbem novi, in qua decem forte hominum millia, non ſine ſat magno rerum pretio, habitant, & in qua mille ad minimum canes bene paſti vel panem recuſant, quem pauperum aequalis forte numerus non ſemper habet deguſtandum; – Quin me foetor moveat a tam inſigni & pecorum & canum carnivororum numero atmoſphaeram inficiens, – quin me continui, & eruditorum aures lacerantes latratus animalium mactandorum, a canibus gregatim has victimas invadentibus crudeliter diſtractorum editi eiulatus, carniumque comedendarum depravatio, – quin me effraenatae caſtoſque oculos laedentis libidinis horum animalium impuriſſimorum, nauſea, permoveat ad ſermonem de his

ladonna efficaci in rabie canina remedio. Gött. 1781. - Item IOH. HENR. MUNCH., *Kurze Anleitung wie die Belladonna im tollen Hundebiſſe anzuwenden iſt*. Gött. 1783.

inſtituendum, ut forte quibuſdam videri poſſit, haud medicum; . . quanta non huic civitati pericula credideris imminere, ſi omine infelici, rabies ex tanto canum numero, vel unicum invaſerit? . . vel ipſa cogitatio terrorem mihi iam incutit! quas non aerumnas inter copioſam adeo nobilemque iuventam hora tam infelix poſſet inferre, quam non ita pridem in *Bavariae* urbe metropoli intulit eiuſdem cauſſae neglecta conſideratio! Num *Huberti clavis:* quam in noſtris adhuc diebus tanto malo audet opponere incredibilis ſuperſtitio, ſolatio hic erit? Nunquam certe tam leve, quod in canum numero inutili, eorumque ſaltibus quaerimus, gaudium, malorum quondam agmen compenſabit: quod me praedicentem Deus velit eſſe mendacem prophetam! Atqui in ſe tandem ſuſcipiat, digna tanto opere *Magiſtratus* cura, quod ſaltem poſſibile eſt avertere malum: Nonne omnes medicorum conatus felicitate ſucceſſus vincet patrum induſtria? - Sed certe leges ferre & hic non ſufficiet. In *Ducatu Wirtembergico*, ſcimus omnes, recentiſſime latas eſſe tales, omni numero abſolutas (*a*), quas, ſi medici, quorum curae ho-

(*a*) Herzogliche Wirtembergiſche Verordnung, wegen dem Verhalten beym tollen Hundbiſſe und andern wüthigen Thieren. 1780. - Mediciniſche Anweiſung wegen der tollen Hundewuth,

mines rabioſo animali ſauciati committuntur, ſequantur, ſat felices ſibi ſucceſſus promittere poſſent; non eſt tamen, quod miremur, quando & in illa ipſa provincia haud ita pridem circiter 15. rabioſos fuiſſe morte ſublatos, audiamus; dum vel ipſa *Stuttgardia* canes in foro circumvagantes complures habeat, ſubque ſapientiſſimis legibus, rabiei ſeſe exponat periculo vix evitabili.

§. XVI.

Quam inanis & in dira peſtis lue curanda medicorum hucuſque fuit opera (*a*), quamque felix in ea ex Europa fere penitus eliminanda, eſt nunc Principum induſtria ac vigilantia (*b*)!

---

welcher eine Vorſchrift für die Dorfbarbierer, und das Herzogl. Wirtemberg. General - Reſcript die Polizey - Anſtalten betreffend beygefügt iſt. Stuttg. 1782. - cfr. de his egregium opus Cl. IOH. FRID. SCHERF, Archiv der mediciniſchen Polizey I. B. S. 151. ſeqq.

(*a*) Peſtis *Marſilienſis*, quae hoc ſaeculo 1721. in urbe *Toulon* quoque graſſata eſt, ubi 26276. incolae numerabantur, ex hoc numero ultro 16000. trucidavit; non ultra 4000. a peſte reconvaluerunt, ut igitur quintus quiſque vel naturae vel artis ope conſervatus fuerit. Vid. *Mr.* d' ANTRECHAUS, Rélation de la peſte, dont la ville de *Toulon* fut affligée. 1721. p. 339. 40.

(*b*) In Daciae Tranſilvanicae diſtrictu Coronenſi & Fogarienſi 1755. peſtis aliunde communicata plures iam pagos infecerat; Cum vero *Magiſtratus* mox invigilaſſet omnemque commercii neceſſitu-

Quodſi eadem cura circa primam venereae contagionis invaſionem verſati fuiſſent Principes, non forte infectam doleremus totam nunc fere humanam in quibuſdam provinciis progeniem; neque tam barbari ſunt vel ipſius *Africae* incolae ſtupidiſſimi, quin contra variolarum in vicinia graſſantium, ſibi necdum propriarum, contagia, munimenta erigant, ſicque in amovendo hoſte magis omnino proficiant, quam Europaei medici in curando morbo, nunc demum ſat bene perſpecto, ſint unquam praeſtituri. Leproſos, quos numeroſiſſimos nutrivit Europa, poſtquam, *ſanguinis humani religioſo odio commoti* ac cruce humeris ſignati, *Chriſtiani* peſtem ſibi chronicam e *terris ſanctis* acquiſiverant, leproſos, inquam, necdum curare didicerant poſt ſaecula medici, nec profecto illorum iuſſu morbus, uti fecit, ex Europa migraſſet, niſi tandem noſodo-

---

dinem cum illibatis inhibuiſſet, malum ſic intra anguſtos hos limites coercuit. Elapſis ex urbe infecta Valachus quidam peſtem oppidulo Tartlau intulerat; cura vero & vigilantia civium, qui *Saxones* ſunt, conſtitit malum: ii enim domos infectas mox altis vixque ſuperabilibus ſaepibus circumcluſerunt & vigilibus muniverunt eo ſucceſſu, ut poſt quatuor menſes peſtis plane extincta fuerit. ADAM. CHENOT de peſte p. II. Qualia quidem a nobis exempla plura poſſent adduci. Cfr. CAROL. de MERTENS. obſervationes de peſte, quae patriam meam anno 1770. devaſtabat.

chiorum *novemdecim millia* pro ſuſcipiendis & a ſanorum commercio ſeparandis aegrotis vigilaſſent, & niſi ipſius morbi ſenſim decreſcens ferocia ſibi magis placuiſſet in cedendo *Politiae* curis, quam *medicorum* hypotheſibus, quas ſibi de morbi ignoti natura effinxerant.

§. XVII.

In morbis vero popularibus propellendis, qui ex anonae vel caritate, vel noxia qualitate oriuntur, quanta non *Magiſtratus* prae medicis eſt potentia? Triſtiſſimos & *ſecalis cornuti* & corruptorum cerealium in humanum genus effectus deſcripſerunt quidem optime, inque hoc certe quam maxime ſunt meriti medici, inter quos, ut huius provinciae digniſſimi hac de re ſcriptores, debita laudis gratia nominandi ſunt Cl. WICHMANN, Cl. TAUBE, & Cel. LENTIN. Verum enim vero, ſi melioris anonae curam in ſe ſuſcipere velit *Magiſtratus* atque cives a victu recentiorum cerealium, paniſque ex illo confecti, male fermentati, meliora interim ſuggerendo, coerceat: nonne ſic omnem mox medicorum operam reddet ſuperfluam, atque millenos a morbis praeſervabit, quorum vix partem ſeptimam, ſi a malo fuiſſent affecti, ſervaverit vel optimus medicus (*a*)? Certe necdum

(*a*) Ex 697. aegris Raphania laborantibus 97. per-

multa praeſtiterunt in re alimentaria plurimarum Rerumpublicarum antiſtites, cuius tamen rectioris curae eadem omnino eſſet ad praevertenda populorum mala virtus & praerogativa, quae in omnibus pene morbis, a victus ratione ſaepius, quam ab exquiſitiſſimis pharmaciae productis, eſſe conſuevit. Summa provinciae *Solognenſis* in *Gallia* paupertas, paniſque dura neceſſitas, qua immatura *Cereris* dona, ſub ſole leviter ſiccata in panem crudiſſimum convertere coguntur, in cauſſa eſt, cur tam crudeles a ſecali cornuto, ibidem copioſiori, quotannis obſerventur effectus (*a*); Neque omnino vel optimus medicus curam illorum in ſe ſuſcipiens, quidquam erit praeſtiturus, niſi tantorum malorum cauſſam auferre, atque ſubditorum miſeriae paullisper ſuccurrere voluerit. Quod idem de multis aliis morbis popularibus fuſius dici poſſet, ſi brevitas ſermonis temporiſque penuria permitteret.

§. XVIII.

Imperium Sagarum, & diabolicae potentiae

---

didit Cl. TAUBE, vid. Geſchichte der Kriebelkrankheit, beſonders derjenigen, welche im Iahre 1770. 71. in der Zelliſchen Gegend Gewütet hat. Gött. 1782.

(*a*) Vid. Mémoires de la Société Royale de médecine, année 1776. p. 429.

in morbis producendis auctoritatem humiles quondam adoraverant medici ; & en obſeſſorum, poſſeſſorumque a daemone ingentem copiam, ab iis ipſis, deridentium monachorum curae commiſſam, vel mulierculárum delirantium incredibilem catervam rogis impoſitam! Sapuerunt interim fora, monentibus immortali CHRISTIANO THOMASIO, illique praeeuntibus, TANNERO & necdum cognito ſatis FRIDERICO SPE (*a*): qui viri, ſi unquam alii, poſterorum gratiam ſibi promeruerunt ; neque certe, ſi unicum forte WIERUM (*b*), virum ultra ſuum ſaeculum ſapientem, excipias, medici alii, quos tunc temporis immerito *phyſicos* ſaepe adpellabant, contribuerunt plurimum ad corrigendum de hiſce rebus iudicium. GASSNERI regnum non in *Svevia* tantum erigi coeptum, medicos ſane ſibi contrarios non habuiſſet quam plurimos, quid? quod fautores egregios ſibi acquiſivit incredibilis, ſaeculi etiam *decimi octavi*, in hiſtrionem illum religioſum fiducia. Mox omne morborum genus diabolicae originis eſſe cenſebatur, & de inimicis ſuis triumphabant medici, utpote quorum malevolus in artem animus illius imperfectioni,

(*a*) Cautio criminalis de proceſſibus contra ſagas. Reintel. ad Viſurg. 1631.

(*b*) IO. WIERUS GRAVIANUS, de praeſtigiis Daemonum. Baſileae 1564.

atque medicorum ignorantiae adſcripſiſſet, quod praeſtare, Inferni potentia vim omnem humanam impediverat.

Pulchrum ſane fuiſſet ac exoptatum, hanc medicis conſolationem a nemine ereptam eſſe, ut vel ignorantiſſimo eorum cuique egregie profuturam: eripuit tamen MAGNUS Germanorum IMPERATOR, cum morbos a daemone oriri prorſus noluiſſet, & en univerſum ſpirituum malignorum genus, quod ſibi in ſexûs ſequioris corpore inprimis placebat, atque iubente GASSNERO terribiles ludebat ſcenas, ignoto certe miraculo profligatum, puellaſque centenas percuratas, quae morbo nullo laborare malebant, quam alio quovis, niſi daemon fuerit, vexari. Certe cum priſtina ſaecula tot GASSNEROS alebant, quot coenobia tunc temporis exiſterant (*a*), numerus poſſeſſorum, id eſt maniacorum claſſis, vi imaginationis modo incredibili augebatur, quorum plurimam partem forte ſanavit, non *Medicorum* experientiſſimorum induſtria, non *Theologorum* Inferno terribilium exorciſmus, ſed *Principum* humano generi faventium cura,

(*a*) Noſtro adhuc aevo Cappucinorum monaſteria pene ſingula patrem ſic dictum Exorciſtam (Hexenpater) habent, qui eiiciendis e corpore humano daemonibus, ſagarumque operibus infringendis, praecipue invigilat.

Digitized by Google

quae ignorantiam, ſimul & ſuperſtitionem, ut matrem morborum foecundiſſimam, ipſo cum daemone exterminavit. Quantum vero vis imaginationis in producendis queat vel ſaeviſſimis morbis, hic mihi probandum non aſſumo. Docent id quamplurimae provinciae, quibus ſic dictae *Miſſiones* (ſocietates ſcilicet virorum religioſorum de loco in locum migrantium) conſciëntias auditorum vi eloquentiae ad poenitentiam movere ſtudebant (*a*). Vix pagus exiſtebat, in quo non tres quatuorve melancholicos

mox

(*a*) Les impreſſions trop fortes, que font certains predicateurs trop outrés, les craintes exceſſives, qu'ils donnent des peines, dont notre religion (catholique) ménace les infracteurs de la loi, font dans des eſprits foibles des révolutions étonnantes. On a vu à l'hôpital de *Montelimar* pluſieures femmes attaquées de manie & de melancholie à la ſuite d'une *miſſion*, qu'il y avoit eu dans cette ville; elles étoient ſans ceſſe frapées des peintures horribles, qu'on leur avoit inconſidérément préſentées, elles ne parloient, que déſeſpoir, Vengeance, punition &c. Une entre autres ne vouloit abſolument prendre aucun remede s'imaginant, qu'elle etoit en enfer, & que rien ne pouvoit eteindre le feu, dont elle pretendoit étre devorée. Ce ne fut, qu'avec une extrême difficulté, que l'ont vint a bout de l'en retirer & d'eteindre ces pretendues flammes. Vid. Dictionnaire Encycloped. edit. de Geneve. verb, melancholie.

Digitized by Google

mox in maniam incidentes reliquerint *patres miſſionarii :* ita ut vel ipſe Illuſt. DE SAUVAGES certam melancholiae ſpeciem conſtituerit, quam *religioſam* dixerat, quaeque in alto moerore, immodico ultimi iudicii metu, atque defectu dulcis illius fiduciae, quam paternae eius clementiae debemus, conſiſtit (*a*).

Medicus, qui longo tempore in eiuſmodi locis praxin medicam exercuit, hanc religioſam melancholiam, mihi retulit, apud plebem multo quidem eſſe imminutam, ex quo *conciones* illae *miſſionales* non amplius locum obtinent; ſed eſſe adhucdum communem, ubi auſteriores confeſſarii fidelium conſcientias nimio cum rigore tractant, atque miſerorum ita concutiunt animos, ut nec ab ipſiſmet confeſſariis iam dependeat, commiſſum in his errorem corrigere, impreſſaſque ſimul ſenſorio communi aeternae damnationis poenarumque infernalium horribiles ideas delere (*a*). Quare, valdopere errat Clar. AR-

(*a*) Noſologia Methodica Tom. III. P. I. p. 382.
(*b*) Simile exemplum foeminae, ſeſe in Inferni flammas propulſam autumantis, communicavit mecum Ill. FRANK : reſpuebat haec omnem fere cibum, crudeles eiulatus edebat, cauſſaſque damnationis aeternae in maritum, officio ſuo, ſe non inſcia, infideliter fungentem, coniiciebat; remedia nulla poterant ingeri miſerae, ad oſſa

NOLD, dum, rationem redditurus, cur *Angli* prae *Gallis* in maniam ſint proniores, contendit, quod facilitas obtinendae remiſſionis apud *Catholicos*, eoſdem non ſinat a religioſa melancholia multum affici, neque religionem ſuperſtitioſam unquam quidquam feciſſe ad malum hoc producendum. Certe, praeterquam quod medici non ſit, ulli religioni bella inferre, neque inſomnia monachorum, ſeu Romanorum deliria videantur characterem eius eſſentialem conſtituere, falſum omnino eſt, ſuperſtitioſas hypotheſes non quam plurimos mentis morbos generaſſe: atqui talium, ſub regno monachali confeſſariorum, rigor & ab experientia probata potentia producendi melancholias religioſas, arma illi meliora dediſſent (*a*). Iam ARETAEUS de *religioſa mania* loquitur, dicens: „ Alia furoris ſpecies reperitur, qua laborantes propria membra dilacerant, pia cogitatione, Diis ſuis, tanquam id poſtulantibus, gratificantes. Id furoris genus a perſuaſione quadam duntaxat proficiſcitur (*b*) ".

uſque iam conſumptae; interim conſcientiae ſtimulis mora temporis ſenſim ſopitis, ſanitatem plenam denuo recuperavit.

(*a*) Vid. Obſervations on the nature Kinds, cauſes and prevention of Inſanity. p. 17. ſeqq.

(*b*) De cauſſis & ſignis morborum diuturnorum Lib. I. cap. 17. - In praecedenti vero capite dixerat: Melancholicos aut ad *ſuperſtitioſam religionem* converti, aut lucem hanc vitamque odio proſequi.

Doluerunt ſaepe numero auſteriores divino ſuo magiſtro *Theologi*, fatales in mentem confitentium effectus fuiſſe inſecutos, ubi rudiorem ſibi conſcientiae tractationem incauti permiſerant. Certe non licet apud omnes *Luſitani* medici hic exemplum, quod refert, Ill. DE SAUVAGES, imitari. Aegrotum ille ſuum in mentem ſanam revocavit ſequenti artificio, Angelus quidam, vel eius perſonam agens amicus, detractis prius tegulis, laeva accenſam facem gerens, dextra gladium, melancholicum nocte evigilavit, eique omnium, quotquot patraviſſet ſcelerum veniam a Deo datam denunciavit, inde aeger ſecuritati & ſanitati redditus eſt (*a*). Angelus itaque ſalutaris humano generi erit, qui ſuperſtitiones & fraudes, queis debiliorum animos commovere ac perturbare ſtudent, ut ſui, non religionis auctoritatem affirment, exterminet, mentes erigat, & ſic ſanas habitare faciat ſanis in corporibus: quod revera non tam a medicis, quam ab ipſius *Magiſtratus* providentia poteſt exſpectari, & ex parte iam in *Germania* utique praeſtitum eſt; poſtquam primam ſuperſtitionis ſcaturiginem, ſedemque in monachorum habitaculis fixam everterunt, eaque ipſa ratione primum felicitatis publicae lapidem poſuerunt Principes.

(*a*) Loc. cit.

§. XIX.

Quanta vero *Magiſtratus*, in eradicandis vulgi praeconceptis opinionibus ſanitati publicae infeſtis prae *medicis* poterit! Inſignis revera numerus morborum huic origini adſcribendus, ſiquidem ignorantia circa res, vitam ſanitatemque propriam concernentes, in cauſſa eſt ut plurimum, ob quam feliciores omnino ſunt ruſtici in *pecorum* morbis praecavendis, quam quidem in propriis malis, tum a ſuis, tum a ſuorum corporibus, avertendis. Quodſi circa cauſſas morborum manifeſtiores iam pueri in *ſcholis* erudirentur, de errorum in vitae inſtituendae ratione commiſſorum ſequelis triſtiſſimis admonerentur, exemplisque quotidianis ante oculos poſitis percuterentur; certe pauciores craſſioribus ſeſe vitiis immergerent; quorum prima principia pro genitrice habent effectuum has cauſſas inſequi ſolitorum incredibilem ignorantiam. Tota fere iuvenilis aetas, in animi dotibus, neglecta corporis cura, percolendis conſumitur; ac ſi in hoc non ſpes omnis atque ſors animi eſſet poſita! Non ignoret parvulus, quid *Deo*, quid patriae debeat; ſed quid ſibi, quid corpori proprio debeat, antequam paſſiones ſanitatem deſtructurae loquantur, maturo ſatis conſilio inſtruatur; atque ſumus omnes perſuaſi, in *ſcholis publicis* aeque

neceſſarium eſſe, prima conſervandae ſanitatis rudimenta docere, quam quidem litterarum characteres, variaſque vocum ſignificationes pueris inculcare. Neque certe ad hoc opus perficiendum magna magiſtrorum cognitio medica requiritur; ſiquidem, quae ſanitatem conſervant, maxime naturales, nec adeo numeroſae ſunt regulae, cum, quae circa morbos curandos a medicis traduntur, copioſiſſimae ſint, ſuiſque non raro premantur dubiis. Artem igitur noſcant ab iniuriis quibuſcunque morbos minantibus, ſeſe defendendi iuvenes, nec non de neceſſitate, iam primis morbi initiis reſiſtendi, mature inſtruantur: moxque mortalitatis ratio minor evadet, atque prudenti huic conſilio *Reſpublica* plures, me hercle, cives debebit, quam ſero nimis adhibiti medici ſervare unquam potuerint.

Si *Magiſtratus* deinde (quod *Svecia* debet beato ſuo *Roſenio*, cuius cineres ſaecula futura venerabuntur) ubique in ſchedis publicis, aut & calendariis, nugarum conſuetarum loco, monita & praecepta circa morbos tum endemios, tum & epidemice graſſari ſolitos inſeri curaverit; – Si incuriae, damni ac laeſionum evitabilium triſtia exempla mox cunctis civibus patefieri iuſſerit; – Si venenorum, & quae his opponi queant, antidotorum notae, – ſi methodus ſuccincta, in *Aſphyxia* poſitis miſeris, ſeu ſuffo-

catis, ſubmerſis, ſuccurrendi, hac ratione innoteſcerent; – Si omnes ſic cives certo modo ſibi in quovis vitae periculo mutuum ferendi auxilium lege communi adſtringerentur; nonne ſaepius inanes *medicorum* conatus meliori effectu ſupplerent, vitamque fere deperditam certius reſtituerent, quam a medico, poſt horas accedente, unquam id poſſit exſpectari?

Quanto non id, vel in cultiſſimis urbibus adhuc eſt humanitati opprobrio, quod, ob ridiculam omnino formalitatem, ſubmerſis vel & propria manu ſuſpenſis hominibus ſuccurendi libertas medicis adimatur, donec poſt longam tandem moram iudiciali modo inſpici queant miſerorum cadavera: vel dum nullus quidem locus recipiendis ſubmerſorum corporibus ex aqua protractis indicatur, quo miſeris commodius opem ferendi habeatur opportunitas & remedia ad hoc opus aſſerventur idonea! Inſignem exhibet *Hollandia* & Pariſiorum urbs hominum quotannis a morte vix non certa reſtitutorum catalogum; nec difficile fore tam felices ſucceſſus ubique imitari; ſed in vanos clamores erumpunt ſemperque erumpent medici, niſi & ſua praeſtet *Magiſtratus*, populoſque de propria ſalute ſua admoneat, mentes praeoccupatas corrigat, & ſic medicaminibus locum faciat, quae rudia nimis ingenia nunc, ubi vel maxime ſunt neceſſaria, ut plurimum reſpuunt atque detrectant.

§. XX.

Quid non de thoracum veſtituſque corporis formam naturalem depravantis noxa ſcripſerunt *medici* (*a*)! exiſtit nihilominus in quavis fere Republica error nunquam ſatis deteſtandus; atque inſectorum forma incedit puellarum amabilis chorus, *bipartito* quaſi thoracibus *corpore*. Innumera ſunt mala, quae ab hac inſana pulchritudinis idea ortum trahunt atque haec ipſa obmuteſcere ſaepius cogit medicos, quorum monita hucuſque (in his quidem oris, in *Gallia* enim dudum iam thoraces reiecerunt mulieres) fuerunt plane neglecta. IMPERATOR Germanorum MAGNUS iubet nunc omnem thoracum letiferum munimentum exulare corpuſque foemineum ſuo proprio, non balaenae decore tectum incedere: & en Sexum hunc iam iam ab iniquo onere liberatum, quod per ſaecula mos illi plane tyrannicus impoſuerat. Neque certe video, cur ſe puellae a natura bene dotatae, eadem theca oneroſa veſtire cupiant, quam non

(*a*) Videantur praecipue IO. ZACH. PLATNER Diſſer. de Thoracibus. Lipſ. 1735. BALLEXSERD, Diſſert. ſur l' education phyſique des Enfans. -- Item FRANK l. c. III. Band. S. 756. ſeqq.

Digitized by Google

niſi chirurgus ſororibus proponere potuit corpore infelicioribus. Sed certe plura dantur, quae circa veſtitum *Magiſtratui* conſideranda eſſent, mihique plurima adhuc ſupereſſent argumenta, quibus, *magiſtratum eſſe medicum feliciſſimum* ſat ſuperque probare poſſim (*a*). Ad hoc utique ſpectant rei medicae ipſius melior in Republica ordinatio, atque medicorum ipſorum morbi, pharmacis quidem non expugnandi; ſed quorum non niſi a Principe ſanatio eſt exſpectanda atque eradicatio. Aſt vero limites agnoſcunt hae pagellae arctiores: quare alio forte tempore, rem maximi momenti penitius conſiderandi ac expendendi opportunitatem exſpectans, his tandem, certus, me poſitionis veritatem ultro demonſtraſſe, pono finem.

(*a*) Memorial eines Italiaeniſchen Arztes über die Nothwendigkeit die Arzneykunſt von der Scharlatanerie zu heilen. Zürich, 1773.

IO. GOTTLOB HAASII

MED. PROF.

E T

IO. SAMUEL LIEBERKÜHN

HERRNHAAGA-WETTERAVIENSIS

DISSERTATIO

DE

ABSCESSIBUS HEPATIS.

Lipsiae 1776.

§. I.

Diagnoſis morborum infimi ventris non ſemper facilis.

TAnta eſt ſymptomatum in multis morbis copia, tantaque malorum, quibus aegrotorum corpora obſidentur, ſimilitudo, ut ſaepius prudentiſſimus quiſque medicus non ſolum quidquid medicae cognitionis ſibi comparaverit, id totum ad morbos, in quorum curatione verſetur, a ſe diſcernendos neceſſario conferat, ſed haud raro etiam in iis tam cognoſcendis, quam curandis,

ſoli fere coniecturae fidendum, eaque ductrice omnia interdum agenda eſſe, modo proſpero, modo ingrato curationis termino experiatur. Quod neminem magnopere admiraturum eſſe arbitramur, cum plurimae vitae & ſanitatis cauſſae internae ſint, quarum nulla tam firma habenda eſt, quin, ſi aliae labefactentur, parem & talem detrimenti partem a vi illata capiat, ut morbi, licet cauſſa proxima differant, obiter tamen ſpectati, ſibi ſimiles videantur. Nullis fere morbis hoc facilius, quam illis probatur, quorum in abdomine locus eſt. Non ſolum enim huic civitati longe plura, quam reliquis, inſunt viſcera, ſed quorundam ex his etiam ſitus tum natura ipſa, tum aliis cauſſis ita mutatur, ut partem affectam, ſedemque morbi non ſemper veluti digito monſtrare, ſed ſola coniectura quandoque aſſequi poſſis. Accedit & hoc, viſcerum abdominalium cum reliquis omnibus eum eſſe conſenſum, ut ſi haec a quacumque cauſſa premantur, etiam illa in mali ſocietatem veniant (*a*), & utro loco cauſſa malorum praecipua lateat, anceps ferendum ſit iudicium. Quam vero rem ad proſperam morborum curam plurimum valere, & medentium eſſe, ut, quantum poſſint, ex his difficultatibus ma-

(*a*) WHYTT'S obſervations on the nature, cauſes and cure of the diſorders nervous, hypochondriac or hyſteric. chap. 1.

iure ſeſe extricent, in duobus aegris, qui abſceſſibus hepatis laborabant, quorumque ſuſceperamus curam, ipſi experti ſumus. Ut igitur artis medicae tironibus, qui, e ſcholis noſtris egreſſi, morborum medelam facere cupiant, quorumque cauſſa haec a nobis ſcripta ſint, argumentum de iecinoris apoſtematis, quippe quae ſummam medentis attentionem mereantur, in memoriam revocaremus, illudque paullo plenius tractaturi, indicaremus fontes; quibus quam de hepatis ulcere ſibi comparaverint, ſcientiam augerent atque locupletarent, in uſum academicae exercitationis nonnullas obſervationes adhibuimus ſcribendi conſilio aptas.

§. II.

Hiſtoria morbi prima.

Vocabamur ad baiulum, virum corporis robuſti, quadraginta aliquot annorum. Conquerebatur de languore, cuius ſe iam inde ab aliquot menſibus percepiſſe moleſtiam referebat; male eum habebant nauſea, ἀσιτία, alvuſque immorigera alternis terniſque diebus praeter conſuetudinem ſolvebatur. Haec ſymptomata non increſcebant tantum, ſed accedebat etiam ſub ſcrobiculo cordis & in hypochondriis dolor non adeo gravis &

vagus. Qui cum neque acutus eſſet, neque uni ſemper ineſſet loco, praetereaque pulſus, naturali non celerior, inflammationis latentis nullam feciſſet opinionem, ſymptomatum communem cauſſam in crudis quaerendam eſſe exiſtimantes, quorum alia in duodeno, alia in viſcere digeſtionis quocunque forte alio latitare, ſalia laxanti medicamento praemiſimus & materiae perverſae reſolventibus emovendae operam dedimus. Aeger per intervallum aliquot dierum melius ſe habere videbatur, brevi tamen poſt vires eius imminuebantur, dolorque, qui, vagi & colici ſpeciem prae ſe ferebat, nunc fixus redditus, hypochondrium dextrum occupabat, abdomine toto tenſo, ex quibus dolorem iſtum non colicum, ſed hepatitidis indicem eſſe coniecturabamus, quam opinionem confirmare videbatur color faciei ſubviridis. Pulſus factus eſt paullulum celerior, noctes erant inſomnes, dolorque per totum infimum ventrem ita intendebatur, ut aeger neque extra lectum amplius ſe continere, neque in dextrum latus ſeſe inclinare poſſet, quin maximum perciperet dolorem. Cum vero infra cartilagines tertiae & quartae coſtae ſpuriae tumor indies augeretur, leviter ruberet & doleret acerbius, hepar inflammatum & forte abſceſſum in eo iam formatum eſſe ſuſpicabamur, chirurgo nobis aſſentiente, qui ad aegrum erat accerſitus. Im-

poſitis ergo cataplaſmatibus emollientibus inciſio facta eſt, quam aeger ipſe, ut periculo, in quo ipſe ſibi eſſe videbatur, liberaretur, expetierat. Quamvis vero tumoris magnitudo & fluctuationis ſenſus magnum cavum pure plenum cuti ſubeſſe prodebant, eandemque ob cauſſam magna inciſio expellendo puri convenire videbatur; chirurgus tamen, cui non ignota erant, quae Cl. PETIT & Cl. MORAND (*a*) de aperiundis apoſtematis hepatis, peritonaeo accretis, protulerunt, inciſione non admodum magna, extrahendo tamen purulento humori apta, aperuit. Facto vulnere, puris, cuius magnam copiam tumori ineſſe nunc clarius apparebat, uncias circiter octo effluere ſivimus, non minorem fere eius copiam decem horis poſt exemimus. Per tres ſeptimanas ſingulis diebus ſex fere unciae puris foetidi effluxerunt, quod ſtriis ſanguinis intermiſtis, ſpeciem habebat ac ſi hepatis parenchyma, aqua dilutum & ſolutum, excerneretur. Inde tamen a tempore factae inciſionis aeger melius ſe habere coepit, ſomnus erat tranquillior, verſus veſperam febris ſuppuratoria augebatur & pulſus celerior reddebatur. Quo vero tum putredini humorum affluentium,

(*a*) Memoires de l' Academ. Roy. de chir. Tom. III. p. 69.

tum etiam reſorptioni; quantum fieri poſſet; obviam iremus, decoctum chinae cum balſamicis mixtum in cavum abſceſſus iniiciendum curavimus. Alvus quotieſcunque opus erat, toties enematis emollientibus ducebatur, ipſi vero febri & reſolutioni ſanguinis & humorum kinkinam oppoſuimus. Interea, dum haec medicamenta in doſi parva exhibebantur, aegrum tertiana febris invaſit, qua, quatuor paroxyſmos perpeſſus, aſſumptiſque amaris, quibus ſalia addita erant, liberabatur. Excretione puris poſtea indies imminuta, vires eius ita augebantur, ut ſex circiter ſeptimanis poſtquam inciſio facta eſſet, a noſtris manibus dimiſſus, priſtinis laboribus parem ſe ſentiret.

§. III.

Hiſtoria morbi ſecunda.

Foemina quadragenaria nauſeam ſentiebat, & toto corpore icteritio colore ſuffuſo, de dolore obtuſo & gravativo hypochondrii dextri conquerebatur, donec tertio menſe a malorum principio languore indies aucto, febris accederet, quae eam extra lectum eſſe non ſineret. Ad noſtrum adventum invenimus eam languentem, pulſus quidem durus erat & nonnihil accelera-

tus ; neque tamen ad eum uſque modum , ad quem in aliis inflammatoriis morbis eſſe ſolet, alvuſque , cum non ſponte reſponderet , ante noſtrum acceſſum ſingulis fere diebus lotionibus ſolvenda fuerat. Durities hypochondrii dextri renitenſque tumor facilem reddebant diagnoſin , & hepatitidem in ſuppurationem tranſiiſſe, naturamque puris expulſionem moliri indicabant. Parti tumenti cataplaſmata emollientia ſuperhabere praecepimus , quo chirurgus, qui ante meum adventum aegrae conſiliis adſtiterat , tumorem incideret. Aſt , cum omnia ad abſceſſum aperiendum parata eſſent , nobis reſtitit maritus , qui , veluti medici inepta vulgi voce ſaepius obtundi & reprimi ſolent , ſe malle dicebat antea omnia experiri, quam e manibus noſtris crudelibus ſalutem coniugis cruenta cura accipere. Quae cum ita eſſent , atque malum cunctatione iſta & pure forte in abdomen effuſo , funeſtum futurum videretur , aegra miſſa , coniugem monuimus , ne cataplaſmata emollientia deponeret. Pertulit aegra dolores , donec abſceſſus ſponte ruptus eſſet , qui , cum per duas ſeptimanas ſingulis diebus aliqua puris copia ex eo excreta eſſet , conſolidabatur , ut aegra brevi tempore priſtinam recuperaret ſanitatem.

§. IV.

Inflammatio hepatis.

Cum nulla in quacunque corporis noſtri parte locum habeat puris, praecipue copioſioris, excretio, niſi eam praeceſſerit, inflammatio (*a*), primum de inflammatione hepatis agamus, tranſitum eius in ſuppurationem ponderemus, hiſque nonnulla, quae medendi methodum concernant, addamus. Non recentiorum tantum obſervatione, ſed antiquiſſimorum etiam, HIPPOCRATIS, GALENI, &, qui morborum chirurgicorum ſcientia, quo vixit, tempore maxime clarus fuit, CELSI auctoritate conſtat (*b*), viſcera abdominalia inflammari, pus in iis colligi, ſedemque apoſtematum infimi ventris difficile & quandoque dubiis ſignis explorari. Tales enim abſceſſus, ſive criticos & in quibus materia morbi, cocta, colligatur, ſive ſymptomaticos morbi atrocitate & perverſa indole natos, veterum ſcriptorum ſcientiam, non fugiſſe, AURELIUS SEVERINUS retulit (*c*), atque plurima loca ex ſcriptis eo-

(*a*) SHARP'S traetiſe on the operations of ſurgery, chap. II.
(*b*) CELSUS lib. 4. c. 8. l. 3. 27.
(*c*) AUREL. SEVERINUS de abſcondit. abſceſſ. nat. Neapol.

eorum collegit. Neque quemquam facile fore arbitramur, fabricae nexuſque partium infimi ventris peritum, qui hoc omnium opportuniſſime in ea corporis cavea fieri poſſe diſſentiat, in qua ea viſcerum multitudo eſt atque varietas, tantaque vaſorum omnis generis deprehenditur copia, ut non maiora tantum vaſa hinc illincque diſtributa diſſecantis ſub oculos cadant, ſed interior etiam cuiuslibet partis vaſorum complicatio tanto maiorem in admirationem quemcunque haec inſpicientem rapiat, quanto plures ſi cera eos repleveris, e contextu celluloſo ramuli extricentur. Ruit enim per tres coeliacae arteriae ramos, arteriamque meſentericam ſuperiorem, inferiorem & renales tanta ſanguinis copia, ut, ſi eas cum arteriis lumbaribus & cruralibus contuleris, facile tertiam totius ſanguinis abdominalis partem iis contineri dicere poſſis. Solent etiam plurimae ex iis vel mox e truncis exortae varios angulos intercipere, vel brevi ſpatio progreſſae mire contorqueri, qua re id efficitur, ut ſanguini ad omnes cuiuslibet viſceris partes parata atque facilis ſit via. Etenim non in eam poterimus adduci ſententiam, arterioſos canales in maioribus ramis eapropter tantum tot locis contortos, nataſque inde flexiones, interpoſito copioſo & tenaci contextu celluloſo, tam ſollicite confirmatas eſſe, ut in maioribus flumen ſanguinis re-

primatur, in minoribus vero ſecretio vel evolutio particularum minimarum mutuo ſe adtrahentium, reactione laterum adiuventur & mixtiones diverſiſſimae oriantur, ſed ea etiam ex cauſſa id factum eſſe nobis videtur, ut ſanguis ad omnes partes commode tranſire poſſet. Sanguis autem in hepate omnium difficillime movetur, non quod cauſſae deficiant, quae tranſitum eius per anguſta vaſcula adiuvent, ſed quod eae vel vitae errorum vitio, vel provectioris aetatis culpa imminuantur & obſtructioni plane fores pandantur. Cum enim is humor in aliis viſceribus cordis, ſi vaſa maiora ſpectes, in minimis autem & convolutis magis propria canalium facultate moveatur (*a*), ſanguinis hepatici maxima copia aliis adminiculis propellitur. Venae portarum rami adeo a corde remoti ſunt, ut, quanquam ex parte maiori cum arteriis cohaereant, ſanguinemque proxime ex iis recipiant, is tamen non viribus cordis, ſed partim arteriarum, quae in venas prolongantur, languente iam earum motu, partim vi ſuctionis venarum per inteſtina atque meſenterium diſpoſitarum (*b*), & muſculorum ope pro-

(*a*) In canalibus arterioſis minoribus cauſſa praecipua motus ſanguinis eſt vis contractilis arteriarum. HALLER. Oper. min. anatom. tom. I. P. I. p. 722. de ſanguinis motu eiuſque cauſſis. WHYTT, on vital motions p. 96.

(*b*) Legenda ſunt de hac venarum ſanguinem promovendi facultate, quae MONROUS contra

moveatur. Nihilominus pertinaciſſimae, & quae ſaepius medentis operam prorſus illudunt, obſtructiones huius viſceris occurrunt, quarum cauſſas tum in ſanguine, tum in canalibus facile invenies. Quem enim fugit, pingues & viſcidae indolis eſſe e meſenterio & coli appendicibus adipoſis reſorptas & venae portae ingeſtas particulas, quae, licet per acriores ex inteſtinis admixtas perque ipſum lienoſum ſanguinem, vi vaſorum reſolutum, diluantur, ita tamen mutari non poſſunt, quin naturalis quaedam & huic ſanguini innata quaſi viſciditas ſuperſtes ſit? Quemadmodum vero vires canalium motrices, tam propriae, quam acceſſoriae (a), impediunt,

I 2

HUNTERUM diſputat. Is enim vim ſuctionis ſolis vaſis lymphaticis venoſis propriam eſſe, nec venis rubris tribui poſſe, affirmarat, MONROUS autem eandem etiam ad venas rubras pertinere ſtatuit & ſententiae inde quod venae rubrae e contextu celluloſo ſanguinem ſugant arterioſum, fidem fecit. Vid. MONRO'S obſervations anatomical and phyſiological. Edinb. 8. 1758. p. 55. of abſorption by the branches of the red veins. HALL. Opuſc. anat. min. p. 722. tom. I.

(a) Vires canalium propriae ſunt, quae a fabrica canalium pendent, ut in arteriis vis contractilis & nervorum in eas imperium. HALL. l. c. In venis huc pertinet vis ſuctionis. Acceſſoriae non ipſis canalibus, ſed in aliis cauſſis quaerendae ſunt, qua in re motus muſculorum & preſſionis ratio habenda eſt.

quominus humores haereant; ita, ſi a quacunque cauſſa canales illi mutantur, partim eam ob cauſſam, partim propter lentorem humorum vaſa obſtruuntur. Lenta haec eſt inflammatio, a qua acutam diſtinguimus, in arteriis natam, non ſede tantum, ſed ſymptomatum etiam indole ab illa diverſam, quae modo ſola viſcus deſtruit, modo lentam, tanquam effectus cauſſam, ſequitur.

§. V.

Inflammationis hepatis cauſſae internae.

Utriuſque autem inflammationis cauſſae vel internae & in corpore & hepate ipſo quaerendae, vel externae ſunt: hae a vi illata pendent, illarum plurimae numerantur, & cum eas vel in vaſis ſecretoriis & excretoriis, vel in venis vel arteriis invenias, tribus generibus comprehendi poſſe nobis videntur. Si ſcilicet in viſcere, cuius munere e ſanguine tranſeunte fluidum quodcunque ſecernitur, excerniturque, humor ille in vaſis minimis lente movetur, vel propter non removendum obicem excerni nequit, primum proxima quaevis loca intumeſcunt, poſtea totum viſcus praeter naturam increſcit. Haec quidem, quamdiu excretoriis ductibus & ſolis iis vaſis, quae ſeroſolymphaticos humores conti-

nent, fluida infarta ſunt, diu abſque noxa maiori feruntur, neque ſanguinis motus ita intenditur, ut inflammatio timenda ſit, cum minus ſenſilia vaſa ad excutiendum preſſionis liquidi haerentis ſtimulum non facile excitentur; quae res alia eſt, quando ſanguifera vaſa vel comprimuntur, vel a globulis cruoris, ob ſtaſin laticis ſeroſolymphatici iis infarti, obſtruuntur. Calculum ergo, ſive in veſicula ſive ductu bilifero quocunque haereat, calloſam orificii ductus choledochi inſertionem in duodenum, viſcidam bilis hepaticae indolem, vermem in hepate haerentem (*a*), aliaſque vel impediti, vel lenti bilis effluxus cauſſas huc referendas eſſe, quilibet facile concedet, quippe quibus primum ductus excretorii, aucto vero malo, ipſa ſanguifera vaſa obſtruantur. Alia inflammationis cauſſa in motu ſanguinis per venam portarum invenienda eſſe videtur. Sanguinem in univerſis quidem venis tum ob minorem elaſticitatem, qua in fluida agunt, tum ob defectum fibrarum muſcularium & nimis remotum cor, lentius, quam in arteriis fluere, in ramis vero venae portarum partim propter vi-

(*a*) MEIBOM. de abſceſſ. intern. natura & conſtitut. Dreſd. & Lipſ. 1718. p. 71. RUYSCH. Obſerv. 64.

Digitized by Google

ſcidam indolem, partim propter anguſtiſſima vaſa & in conos contracta difficile moveri, vix erit, qui infitietur. Quanquam enim negandum non eſt, eam, quae inter canales hos venoſos, ſanguinemque ipſum locum habet, attractionem (*a*) ad iuvandum huius humoris per anguſtiſſimos ramos tranſitum vim habere, ita ut viribus opus eſſe non videatur, quibus ſanguinis refluxus e conicis venis impediatur; ramorum tamen copia interiorque hepatis fabrica facile comprobant, nuſquam in corpore difficilius operoſiuſque hoc fluidum moveri. Atque experientia edocet, nullum fere infimi ventris viſcus hepate citius eo maxime tempore, quo ob increſcentem fibrarum rigiditatem iam imminui incipiunt nutritio humorumque promotio, humorum ſtaſi corrumpi & indurari, graviſſimoſque vel ſenii, vel eius, quae ipſi proprior eſt, aetatis morbos inde ab eo vitio naſci (*b*). Si igitur commotio animi,

(*a*) Haec attractio duplex eſt; primum enim ſanguis ab ipſis venis attrahitur, deinde ipſi globuli ſanguinis venoſi mutuo ſe attrahunt. In vena meſenterica ligata ſanguinem a vinculo verſus inteſtinum ſponte retroceſſiſſe, per aliam proximam venam ad cor reverſurum, Ill. HALLERI obſervatio eſt, microſcopio facta. L. c. de ſanguinis motu per venas.

(*b*) Copia & anguſtia vaſorum lentuſque inde factus circulus humorum per hepar cauſſae ſunt, cur multi, qui virilem aetatem vix intraverint, ſym-

cruda in canali inteſtinorum collecta, bilioſa & acris colluvies, ex inteſtinis reſorpta, vel materia cuiuſcunque generis corrupta, ex liene, pancreate, aliiſque locis adducta, ſanguinem acrem ſpiſſumque reddunt, ſpaſmo in canalibus concitato, humoribus tranſitus intercluditur (*). Sed ſunt etiam cauſſae, quae longe citius agant, atque, cum arterias attingant, celerem & acutam inflammationem inferant: cuius periculo is eſt

ptomatis afficiantur a retardato motu ſanguinis venae portarum ortis, praecipue ſi corpora eorum paullulum ſenſibiliora ſint.

(*) Paullo ſubtilius in his verſatur Cl. Auctor, quam ego quidem in rebus medicis deſiderarem. Quoties enim vel *ſpiſſum* nimis, vel *reſolutum* ſanguinem accuſant Medici, vereor ne firmo ſatis incedant ſolo, neque partium ſolidarum, nervorumque hic nimis obliviſcantur imperii. Parvi quidem hi ſunt, qui hepar adeunt, ſed quam plurimi; &, ſi verum ſit, hepar viſcus eſſe, quod minorem ſenſibilitatem prodat (quod tamen, de *interna* etiam ſubſtantia, non ſemper verum eſſe vidi): confiteri tamen oportet, *Iecur*, ab *animi pathematibus* mirum in modum conturbari, ſpaſmiſque tantis ſubiacere, ut ab *ira* ſola fere plures, quam a cauſſis omnibus aliis, in hepate morbi enaſcantur. Ob hanc forte cauſſam *foeminae* videntur magis, quam *viri*, ex hepate laborare. Sed ſuum cuique modum libenter in rebus exponendis permitto, habetque plura haec diſſertatio, quae, ut eandem hic communicarem, me permoverunt.

expoſitus; qui humores acres & diſſolutos in vaſis continet, quorum ſtimulo nimis commotae arteriae oſcillationis modum excedant. Haec, uti in cachecticis frequentiſſima, ita ſenibus admodum infenſa eſt, qui ex quacunque cauſſa, quae ſenſiliſſima inteſtinorum vaſa ſtimulat, in eam incidunt.

§. VI.

Materia metaſtaſi ad hepar coniecta, cauſſa inflammationis & abſceſſus.

Inter cauſſas inflammationis acutae & in arteriis hepaticis natae etiam materia, criſi metaſtatica huc delata, referenda eſt, quae modo in corpus ingeritur, modo motibus febrilibus, praecipue inflammatoriis, gignitur, & a natura ipſa paratur, modo iam ex humoribus ſecreta, & denuo reſorpta, ut ad quaelibet alia viſcera, ita ad hoc coniici ſolet. Saniſſimum enim quemque hominem a variis aeri admiſtis particulis peſſime adfici, &, functionibus inde laeſis, ſanguinis humorumque tum motum, tum etiam mixtionem, eapropter mutari, contagia & venena comprobant, quibus miram in ſanitatem & vitam poteſtatem conceſſam eſſe tantum non omnes ſcimus (*a*). Quantum periculi contineant, ſolis

(*a*) PLENCIZ. Oper. medicophyſ. tractat. 1. de contagio.

quidem phaenomenis & effectibus diſcimus, non omnia tamen unius eiuſdemque indolis ſunt, ſed alia humores celerrime reſolvunt, alia ſanguini inflammatoriam viſciditatem afferunt, quae effectuum diverſitas non tam a materia eorum, quam a maiori minorique corporum, quae invaſa ſunt, irritabilitate & praediſpoſita natura petenda eſt, quod variolarum, morbillorum, putridarumque febrium ingenio ab omni dubio vindicare poſſemus, ſi in his fuſiores eſſe vellemus. Huius generis corruptorum humorum ea vis multiplicativa eſt, ut aiunt Pathologiae Doctores, ut non ſolum ſani humores facile iis aſſimilentur, ſed materia etiam, quae ob copiam ſolius cutis colatorio exterminari non poterat, ad viſcera & in his frequentius ad hepar ruat. Hinc vel in vigore horum morborum, vel ad finem fere eorundem, peripneumonia, deiectiones foetentes, & internae viſcerum inflammationes occurrunt, a quibus tanto plus metuendum, quo rarius aptis medicamentis impetus earum refrenetur, & periculum avertatur. A fomite contagioſo natura quidem, non vero effectu ea materia differt, quae, febri inflammatoria rheumatica e ſanguine evoluta, criſi metaſtatica ad viſcera coniicitur. Scilicet humorum noſtri corporis non ſemper una eademque permanet mixtio, ſed ſingulis anni viciſcitudinibus fluida in

nobiſmetipſis ita mutantur, ut nunc ad hos morbos magis praediſpoſiti quam ad alios inveniamur, cuius in medela variorum morborum, qui ſingulis anni temporibus occurrunt, rationem habendam eſſe SYDENHAMUS iam dudum ſapienter monuit (*a*) recenſque qui veſtigia eius cum laude preſſit, GRANT (*b*) argumentis & obſervationibus confirmavit. Vernali autem tempore, quippe quo humores, qui autumno reſoluti erant, frigoris interceſſu, ſpiſſitudinem naneiſcuntur, febres inflammatoriae rheumaticae graſſari ſolent. Tales febres non finiri, quin peregrini quid e humoribus ſecernatur, peculiaremque coqui materiam evacuandam, exinde patet, quoniam, ſymptomatis mitigatis, vel perſpiratio vel diureſis augetur. Forte id ipſum, quod excernitur, ſpiſſum inflammatorium eſt, quod etſi incertum ſit qua ratione generetur, eam tamen ob cauſſam, quoniam illud ſpaſmo ſoluto e humoribus ſecedit (*c*), ab hoc ipſo naſci, & poſtea excer-

(*a*) Opuſc. univerſ. cap. II. de morbis epidemicis.
(*b*) Enquiry into the nature, riſe and progreſs of the fevers moſt common in London. Conferri etiam poſſunt, quae Cl. SARCONE de morbis qui Neapoli anno 1764. epidemice graſſari ſunt, expoſuit, cuius verſion. teuton. vid. tom. I. p. 256.
(*c*) SARCONE l. c. p. 83., ubi de materia iſta rheumatica eiuſque effectibus agitur.

Digitized by Google

ni videtur. Si venaeſectio inſtituta & repetita fuerit, materia, ſpaſmo ſanguinis evacuatione ſoluto, ad artus aliarumque partium muſculos deponitur, &, ſudore ſponte exorto, vel lotii perfluvio diſſipatur (*a*). Attamen non omnis haec materia hac via utraque e corpore egreditur, ſed pars eius, ad aliena loca, & viſcera compulſa, phrenitidem & peripneumoniam quandoque iuducit diluentibus & repetita miſſione ſanguinis avertendas, & extant exempla, ipſum hepar inde inflammatum & abſceſſum in eo natum eſſe (*b*). Idem in metaſtaſi puris fit. Qui enim ab omni fere cum reliquis commercio excluſus erat, humor mora & calore, niſi ei vel natura, vel arte exitus comparari poſſit, attenuatur, &, reſorptus, ſanguini admiſcetur. Sputi purulenti reiectio in morbis pectoris inflammatoriis, diarrhoea & purulentum lotii ſedimentum eorum, qui vomica pulmonali laborant (*c*) manifeſto quidem declarant, naturam adminiculis non eſſe deſtitutam, quibus ſe ab acri iſto & reſorpto humore liberare poſſit; ſaepius tamen in viſceribus ipſis latent cauſſae, cur id, quod e corporis limitibus exterminandum eſſet,

(*a*) Id. tom. 3.
(*b*) Id. tom. 3. p. 239. HUXHAM de aere & morb. epid. 1740. p. 41. & 42.
(*c*) Ill. DE HAEN rat. med. P. II. cap. 2.

ad interiora convertatur. Hinc ſi cerebrum & pulmones attinguntur, phrenitis, ſopor, catharrus ſuffocativus & aſthma, & ſi materia ad hepar proſerpit, lentor, inflammatio & abſceſſus aegro magnum periculum afferunt.

§. VII.

Cauſſae externae.

Quaecunque animalis corporis pars contunditur, vel vulneratur, ad eam ſanguinis aliique humores effuſius adfluunt, & ſi gravior facta fuerit eius laeſio, tam contuſam particulam, quam vulneratam, phlegmone attingit, quae haud raro ſuppuratione terminatur. Eſt enim generis vaſorum ſingularis ille mechaniſmus, eaque circuli ſanguinis univerſorumque humorum ratio, ut quemadmodum varii morbi natura ſanantur, ita plurimi eadem etiam exoriantur, atque ob eam, quae per totum corpus regnat, ſenſibilitatem, cuiuſcunque partis vaſis ſtimulus imprimatur, ad eam ſanguis humoreſque, tanquam convocati, properent, canales laceſſitos copia obruant, ac inflammationem, & interdum ſuppurationem afficiant. Inter externas igitur cauſſas contuſioni & vulnerationi hepatis primum locum eſſe facile apparet, cum nihil ab eo viſcere alienum eſſe conſtet, quod reliquis vaſculis

maxime refertis, accidere ſolet. Accuſanda etiam eſt partium vicinarum connexio, cuius poteſtate fit, ut ſi una pars a vi illata inflammetur, etiam altera in mali ſocietatem trahatur, & quidquam ex carne eius ſuppuratione abſcedat. Diaphragmate & ventriculo inflammatis hepaticum abſceſſum naſci poſſe, quilibet rerum anatomicarum non adeo rudis facile largietur. Sed ne eas cauſſas, quas quivis mente & cogitatione facile attingat, attentione nimis diu perſequamur, diſputationem ad aliam, quam in vulneribus capitis & cerebri inveniemus, cauſſam revocemus: quae, cum tanto recentiorum chirurgorum diſſenſu celebrata ſit, variaeque inde fluxerint practicae regulae, digna nobis viſa eſt, in quam attentius inquireremus.

§. VIII.

Sententia Clariſſimi BERTRANDI *de abſceſſibus hepatis poſt vulnera capitis.*

Affectiones & vulnera capitis cerebrique apoſtemata hepatis nonnunquam ſequi neminem fugiet, qui practicorum, inprimis chirurgorum, obſervationes legerit (*a*); cuius phaenomeni cauſ-

(*a*) MEIBOM. l. c. Mémoires de l'academ. de chirurg. T. III. 4. p. 482. CHESTON'S pathological inquiries and obſervations in ſurgery, p. 37. & 122.

ſam ſcriptores aetatis pau'lo ſuperioris omnes vel in ſympathia nervorum, vel in metaſtaſi puris quaeſiverunt (a). Quorum utrumque Cl. BERTRANDI eſſe negat: alterum quidem, quoniam nec alia viſcera, ad quae iidem nervi ramos dimittant, inflammata inveniantur, alterum, quia cerebro nulla ſuppuratione affecto, ſed commoto tantum, ipſum tamen hepar cyſtin pure plenam continuerit (b). Cauſſam potius a perturbata ſanguinis circulatione per cerebrum, copioſa ſcilicet eiuſdem ad hoc viſcus congeſtione & impetuoſo refluxu verſus cordis auriculam dextram petendam eſſe, cui ſententiae a phaenomenis & ſymptomatis pondus addit. Sanguinem enim oculis, auribus, naribuſque prorumpere, faciem tumefieri ac rubere: varios convulſivos motus in collo, palpitationem venarum iugularium cum febre & deliriis animadverti, e quibus appareret, fluidum hoc ad partem affectam impetuoſius ruere, inde vero per ſinus venamque cavam ſuperiorem effuſe regredi. Quibus poſitis ſanguinem, in vena cava inferiore aſcendentem, eo maiori vi inde ab auricula dextra reprimi repellique, quo certius eſſe, ea, quae

(a) MEIBOM. l. c. artic. 7. de hepatis abſceſſibus.
(b) BERTRANDI traité des operations de chirurgie; Reſponſe ſur les abſces de foie à Monſieur POUTEAU p. 286.

ab Auctoribus celebrentur ; curſum ſanguinis venae cavae ſuperioris dirigendi retardandique adminicula, veluti angulum in loco inſertionis in auriculam, valvulam cartilagineam Highmori, iſthmum Vieuſſenii & tuberculum Loweri, deficere & nulla eſſe. Hanc eſſe cauſſam, quod hepar in vulneribus capitis ſanguine obruatur, & inflammatio oriatur, cuius, niſi gangraena eam finiat, in ſuppuratione terminum eſſe. At enimvero in his alia ſunt, quae mere ſumpta ſint, quibuſque fides argumentis reddi deberet, alia ne ſumi quidem poſſunt, cum in contrariam partem graviſſimis argumentis diſputare liceat. Capite vulnerato, vel cerebro modo commoto tantam tenerrimarum & quae parum violentiae ferunt, encephali partium exiſtere irritationem, quae humores copioſe alliciat, libenter largimur, &, quanquam hoc in vulneribus capitis fieri CL. POUTEAU negat (*a*), hocque argumento contra Clariſſimum BERTRANDI pugnat, ea tamen, quae in aliis vulneribus omnibus cernuntur, etiam his accidere & congeſtionem ſanguinis ad caput locum habere putamus. Sed id quaeſtionis eſt atque controverſiae, num ab iſto in

(*a*) Melanges de chirurg. p. 123. ſur les abſces du foie, qui ſe forment a l'occaſion de plaies de la tête.

encephalo collecto humore ſinus & venae cum iis connexae cerebri adeo dilatentur, ut pondus & copia eius illum, qui in vena cava inferiore aſcendit, non prorſus quidem reprimant, difficiliorem tamen aditum ei praebeant? de qua re dubitamus. In plethora & morbis inflammatoriis arteriae maiores ſanguine valde dilatantur, minores ſpaſmo affectae, contrahuntur arctius. Si enim canalis, ſive ille conum, ſive cylindrum referat, una pars a fluido tranſeunte dilatatur, altera contrahitur. Si ſanguinem miſeris, genuſque vaſorum arterioſorum depleris, humores per quaecunque colatoria denuo excernuntur, lotio criticum ineſt ſedimentum, ac cutis madet, quae luculenter indicant, facta venaeſectione & imminuto ſanguinis motu, humoribus priſtinam per canales arterioſos minores redditam eſſe progrediendi libertatem. Quae cum in univerſum de morbo inflammatorio valeant, quidni etiam de vulnere capitis & affectione cerebri, in quibus malis ſi humores ad eas partes impetuoſius rapiuntur, rami carotidum internarum & baſilaris arteriae ad piam menyngen & cerebrum diſtributi dilatantur, paullo minores, corticali cerebri parti immiſſi, adeoque & illi, quorum cum venis anaſtomoſis eſt, anguſtiores reddantur? Non tantum igitur difficilior ſanguinis eſt tranſitus ex arteria in venam, ſed etiam

impe-

impeditus. Sopor, ἀναισθησία, delirium, tremor, convulſio, vomitus & alia, e compreſſione cerebri oriunda, mala, in capite vulneratis non ſunt effectus a dilatatis venis ſinubuſque orti, ſed ſequelae dilatatarum arteriarum & extra vaſa miſſi fluidi, ſanguinis arterioſi, ſeri, & puris. Spectandae etiam ſunt teneritas venarum piae matris & anguſtia oſculorum, quibus venae in ſinus inſeruntur, cuius rei cauſſa, antequam ſinus ſanguine obrui poſſint, venae diſrumpantur. Etſi enim venae plexus choroidei plurimae, in venam magnam GALENI inſertae, cum haec in quartum ſinum orificio ſatis amplo aperiatur, ſanguinem facile refundant, ſinuum tamen tranſverſalium, eiuſque, qui ſagittalis appellatur, perluſtratio quemque docet, tam anguſta eſſe oſcula venarum, quae in eos inſerantur, ut natura vel hac re tumultuoſum ſanguinis adfluxum impediverit. Si etiam concedamus, in venis & ſinubus durae matris liquidi, e cerebro regreſſuri, accumulationem exiſtere poſſe, novum tamen de Cl. Auctoris ſententia oboritur dubium, quod vena cava ſuperior minori orificio in auriculam dextram cordis inſeratur, quam inferior, ob quam cauſſam columna ſanguinis deſcendentis eum, qui ex abdomine aſcendit, reprimere non poſſit; quibus addi poſſet, venam cavam inferiorem fere ſex-

per parumper oblique in ſinum auricularem in-trare. Cum autem vis prementium fluidorum e baſibus canalium eorundemque altitudine aeſtimanda ſit, vel hanc ob cauſſam dubitationi locus ſupereſſe poterit.

§. IX.

Sententia Clariſſimi POUTEAU.

Cognitis, quibus haec ſententia premeretur, difficultatibus Cl. POUTEAU in contrarias partes diſceſſit (*a*). Huius eſt opinio, vulnere capiti inflicto, ſanguinem in minori copia ad cerebrum, maiori ad viſcera infimi ventris ferri. Capite laeſo, vel cerebro concuſſo, huic vis infertur, circulus humorum in hoc viſcere perturbatur, & vaſa atoniam patiuntur, quo facto ſanguis & ſerum in proxima quaevis receptacula ſecedunt, arteriaſque hunc in modum comprimunt, ut, facta in cerebro reſiſtentia vaſorum maiori, humorum flumen ad inferiora dirigatur. Aucta arteriarum colli & faciei pulſatio, haemorrhagia narium, humorumque ſeroſorum ex ore eruptio non quidem effectus ſunt rapidi aſcenſus ſanguinis, ſed compeſſionis arteriarum encephali, cuius vi humores ad partes exterio-

(*a*) Mel. de chirurg. l. c.

res capitis ſe convertant, atque ex vaſis dilatatis effugium quaerant. Ex his Cl. POUTEAU concludit, non obſtructionem venarum hepaticarum, ſed nimium ſanguinis per arteriam hepaticam motum cauſſam inflammationis & abſceſſus hepatis eſſe. Cl. DAVID minorem quidem humorum copiam, vulnerato capite, aſcendere conſentit, neque tamen in hepatitide explicanda ſanguinis arterioſi, ſed venoſi circa hepatis confinia collecti, rationem habendam eſſe. Hunc enim ob difficilem ex aorta ad altiores partes aſcenſum perturbatumque motum per pulmones ad cordis atrium dextrum difficilius parciuſque admitti, & in iecinore, quippe proximo viſcere colligi (*a*). At enimvero argumentis, quibus Cl. BERTRANDI reſpondit eorumque opiniones oppugnavit, tantum roboris ineſt, ut nec his aſſentiamur. Atonia partium encephali & tanta humorum effuſio, ex qua, compreſſis arteriis, acceſſus ſanguinis cerebralis imminueretur, a medulla cerebri, preſſionis impatiente, non diu ferrentur, & vulnerato priuſquam abſceſſum in infimo ventre ex hac cauſſa accipe-

(*a*) BERTRANDI trait. des. oper. l. c. ubi haec, quam Cl. DAVID protulit, ſententia uberius recenſetur & contra eam a Cl. BERTRANDI reſpondetur.

ret, mortem adferrent. Nec his reſpondent, quae in omnibus vulneribus deprehenduntur. Certum enim eſt ad quamcumque partem eo maiorem eſſe humorum affluxum, quo magis illa vel vulnerata, vel contuſa fuerit.

§. X.

Cauſſa abſceſſuum hepatis, qui vulneribus capitis ſuperveniunt in nervis & conſenſu hepatis cum cerebro quaerenda.

Cum igitur nulla harum opinionum nobis probata fuerit, videndum eſt, an non phaenomeni cauſſam, quam in ſanguiferis vaſis invenire non potuimus, in nervis offendamus? Fatemur quidem, hanc, qua ad veritatis cognitionem perventuri ſumus, viam longe aſperiorem pluribuſque ſpinis obſitam eſſe: cum, relictis iis, quarum perſpectiorem habemus actionem, partibus, explorationem ad eam convertamus, quarum utilitatem nonniſi hariolando aſſequi licet; aliqua tamen ſpes ſupereſt, nos ex iis, quae obiiciantur, difficultatibus, facile noſmet ipſos extricaturos eſſe, ſi eam, quam partim ſani corporis eiuſque functionum cognitio, partim morborum effectus in his tenebris nobis praeferant, lucem ſequamur. Conſentientem varia-

rum partium naturam dudum cognitam perſpectamque plurimi habuerunt, cuius vero mutuae conſpirationis cauſſam modo in reticulatis nervorum implicationibus & plexibus gangliformibus, modo in flexionibus nervorum & ſic dictis anſis quaeſiverunt (*a*); donec mutatis opinionibus, eam a ſenſorio communi derivarent (*b*). Haec eſt illa lex, ad quam nervorum vaſorumque motus ita reguntur, ut, ſi ea neglecta fuerit, corporis functiones perturbentur. Quamdiu enim cor & connexa vaſa ſanguifera ita ut par eſt a fluidis contentis excitantur irritanturque, nervis, niſi aliae mutationis eorum extent in corpore cauſſae, perverſi nihil accidit, ſed permanet ille, qui generis nervoſi & vaſorum eſt, conſenſus, ſtimulo vero fluidorum in vaſis aucto, vel imminuto, etiam nervorum motus perturbatur, & malum, cerebro nerviſque quomodocumque affectis ac irritatis, etiam ad vaſa ſanguifera proſerpit. Numquid igitur facilius inde colligitur, quam hoc, eſſe inter cerebrum & vaſa ſanguifera ſingularem quendam conſenſum, cuius vi, ſi cauſſa motus perturbati in uno ge-

(*a*) WILLIS Anatom. cerebr. ed. 4. p. 288. VIEUSSEN. Neurogr. lib. III. c. 4. p. 180.
(*b*) WHYTT'S Obſervations on the nature, cauſes and cure of the diſorders nervous chap. 1.

nere partium extiterit, effectus etiam alterum attingat? Ex eo tramite alium ingredi licet, qui nos propius ad veritatem inveniendam perducit, ſi in mentem nobis revocemus, eſſe quibuſdam viſceribus & partibus maiorem cum cerebro conſenſum & quaſi privilegium datum, unde aliae excludantur. Homo ſanus firmiſque digeſtionis viſceribus inſtructus ex alimentis, recte digeſtis & concoctis, quod labores ei ſubtraxerant, robur recuperat; qui cruda in ventriculo collegit, & virium digeſtricium debilitate vexatur, eum languor & cephalalgia male habent, accedunt vertigo & interdum ſenſuum internorum aeque ac externorum levis abolitio; capite vulneratus de nauſea & vomitu conqueritur: cerebrum igitur & ventriculus manifeſto conſentiunt. Idem tamen conſenſus hepatis eſt & cerebri: practicis enim notiſſimum eſt, illo viſcere affecto etiam huius viſceris functiones mire perturbari, hancque melancholiae & maniae admodum frequentem cauſſam eſſe, quae non, priuſquam reſolventibus & evacuantibus infartam materiem removeris, tollantur. Quod non mirabimur, cum intercoſtalis nervus & vagus in hoc viſcus ramos immittant, quibus id efficitur, ut, ſi medulla encephali male affecta fuerit, ſtimuli vis etiam a iecinore percipiatur humorumque, qui in eo continentur, motus mutetur. Ira enim

commoti ex bile in inteſtina effuſa, vel ſtaſi eius, icteritio colore tinguntur, & in cacochymiam, febres bilioſas putridaſque incidunt. Cuius rei non alia videtur eſſe cauſſa, quam quod nervis commotis, vaſorum, quae bilem ſecernunt excernuntque, motus modo nimis intendatur, modo ob ſpaſmum imminuatur. Duplex igitur menti, in nervorum facultatem intentae, obverſatur cauſſa: una, quae totum vaſorum genus, ne venis quidem exceptis, attingit, Clariſſimo CHESTON iam nota (*a*), & quae ſola ad explicandam geneſin puris in hepate non ſufficeret, niſi accederet altera, quae ad ſolum affectum viſcus pertinet, in miro eius cum encephalo conſenſu quaerenda quaeque tanto facilius huic parti vim inferre valet, quanto plura eius ſunt vaſa, quantoque facilius ob eam rem ſanguis accumulari poteſt.

§. XI.

Symptomata.

Cum abſceſſum modo acutam, modo lentam inflammationem praecedere, ſupra (§. 4. 5.)

(*a*) L. c. Commentar. Lipſ. Vol. XV. p. 38.

demonſtraverimus, facile apparet, ſymptomatum non eandem in omnibus, ſed variam eſſe rationem. Si quis eſt, in quo intra breve temporis intervallum pus in hepate colligatur, cunctis fere malis afficitur, quibus ii, quos repentina viſceris infimi ventris inflammatio invaſit. In infimo ventre meteoriſmus eſt, hypochondrium dextrum non tantum durum & tenſum ſe praebet, ſed percipit etiam aeger fixum in ea regione dolorem, qui, facta ſuppuratione, ſeſe remiſſiorem exhibet, febris inflammatoria mitigata quidem eſt, non tamen prorſus ſublata, aegrumque omnia inflammatoriae febris ſymptomata male habent, & alvus, cum bilis effluxus a norma ſua recedat, non apte reſpondet, & utplurimum lotione ducenda eſt. In iis, qui lente in hunc morbum incidunt, alvus ſtricta eſt, cutis colore icteritio ſuffunditur, hypochondrium ſenſim dolet, viriumque indies maior iactura percipitur. Horum ſymptomatum cauſſae facile cuique notae ſunt, ſed alia nobis inprimis digna viſa ſunt, quorum in cauſſas diligentius inquireremus, quoniam de iis non omnes idem ſentiunt. In nonnullis aegris abſceſſus primum cum peritonaeo concreſcit, poſtea inflammatio etiam ad muſculos & integumenta abdominis cutanea ita propagatur, ut vel arte, vel ſponte vomica exteriora verſus aperiatur. Quam partium inflamma-

Digitized by Google

tarum, a qua nec alia viſcera interdum libera inveniuntur, cohaeſionem ab impedita vaſorum tranſpiratione proficiſci exiſtimarunt, cuius effectu vicinas quaſvis partes exſiccari, & legimus, ipſi BOERHAAVIO hanc eſſe cauſſam viſam, ob quam in multis eorum; qui pleuritide & peripneumonia unquam laborarint, poſt mortem pulmo cum pleura concretus reperiatur (*a*). At enimvero cur in ſenibus rigida & ſicca viſcera cum partibus proximis non concreſcunt, ad eum modum; ad quem hoc in hepatitide fieri ſcimus? Nam ſi qua viſcera vi ſenii cum pleura vel peritonaeo praeter naturam combinata reperiantur, tamen, ſi inflammatoriam concretionem partium cum ſenili recte comparaveris, diverſas utriuſque cauſſas ſubeſſe ſponte cognoſcere poteris (*b*). Huius rei cauſſa eſt, purulenta ma-

(*a*) BOERHAAV. Praelect. de morbis nervor. T. I. de morbis tunicae arachnoideae. Non mirandum eſt, Magnum & Optimum BOERHAAVIUM tunc temporis in eam opinionem perveniſſe, cum exſudationem puris cauſſam concretionis partium inflammatarum recentiores invenerint.

(*b*) Saepius quando in theatro anatomico corpora phthyſi pulmonari defunctorum diſſecuimus, vomicam diſquiſituri, convexam pulmonis exulcerati partem tanquam cruſtam calloſam cum pleura & coſtis ita concretam vidimus, ut has partes a ſe invicem ſeparare non poſſemus, quin particulae calloſae in coſtis relinquerentur. Cum privatae

teria, quae ex ſuperficie viſceris inflammati exhalatur, partibuſque ſanis & inflammatis interponitur. Huic humori ſingularem proximas partes conglutinandi facultatem ineſſe quilibet largietur, qui perpenderit, eum, licet e poris vaſorum exhalatus fuerit, cum pure tamen, in abſceſſu ipſo contento, unius eiuſdemque originis atque naturae eſſe. Vix enim hoc nobis perſuaderi poterit, omnem purulentum humorem in ſolo abſceſſus cavo deponi; excretiones, quae ſpaſmo ſublato & febre temperata, non tantum reſtauratae, ſed auctae etiam reperiuntur, manifeſto monſtrant, eum, motibus inflammatoriis in ipſo ſanguine coctum, variis colatoriis excipi, magnam vero eius partem metaſtatice ad partem inflammatam coniici (*a*). Hinc in enteroceles curatione, quae ſectione facta eſt, inflammata inteſtina tam facile peritonaeo adglutinantur, & poſt peripneumoniam pulmo cum pleura concreſcit.

Quaeſtionis etiam eſt, cur febris, quae vel

* ſectioni iuvenis, phthyſi pulmonali ex haemopthyſi nata extincti, intereſſemus, pulmonem ſiniſtrum iis locis, quibus de dolore conqueſtus erat, callo intercedente coſtis annexum vidimus, quo remoto parvae vomicae & una paullo amplior inveniebantur. Anno prius quam haemopthyſis eum invaderet, peripneumonia laboraverat.

(*a*) HAEN l. c.

cum abſceſſibus coniuncta eſt, vel iis ſupervenit, non in omnibus eadem ſit, ſed tempore & remiſſione differat? In nonnullis, ut in baiulo factum erat, (§. III.) ab initio, quo de obtuſo dolore conqueruntur, nulla febris ſunt indicia, pulſuſque naturali non celerior; in aliis tertiana, ut in eodem aegro poſtea, aperto iam abſceſſu, accedit, donec, pluribus partibus & ipſis abdominalibus muſculis inflammatis, febris augeatur? In iis, qui pus lente collegerunt, ſuppuratio ex inflammatione venoſa & ſtaſi ſanguinis venae portae nata eſt, & quamvis venarum tantam inertiam tamque exiguam irritabilitatem eſſe, ut iis obſtructis nulli prorſus febriles motus excitentur, non opinemur, earum tamen venarum, in quibus lentae inflammationis ſedem collocamus, ea eſt diſpoſitio, ut vel nulli motus febriles oriantur, vel orti, vix, niſi in augmento morbi, percipiantur. Non ſolum enim a corde remotiſſimae ſunt, ſed minor etiam, ſi plexum nervoſum cum magnitudine viſceris compares, in iis eſt irritabilitas, quam in arteriis, ita ut materia purulenta tum demum quando in parenchymate iam diu ſederit, maiorem acrimoniam nacta, arterias vellicet, hocque ſtimulo febrim excitet. Neque etiam mirandum eſt, tertianam febrim eiuſmodi aegris ſupervenire, quum cognitum ſit, ad febres intermittentes, praeci-

pue quartanam & quotidianam eos, qui obſtructione incipiente viſcerum laborant, praediſpoſitos eſſe, eaſque non ſine detrimento aegri abigi, niſi antea reſolventibus & evacuantibus viſcera, inprimis hepar (*a*), copia materiei bilioſae liberaveris.

§. XII.

Diagnoſis & prognoſis abſceſſuum hepatis.

Cum igitur non eadem in omnibus ſymptomata extent, eaque non ſemper protenus, ſed pedetentim, in ſenſus cadant, ſigna colligenda ſunt, quibus morbus fallaciſſimus & periculoſiſſimus ſeſe prodere ſoleat. Falli autem ab eo medicus tam diu poteſt, quamdiu vaſa ſenſibilia a purulento humore, in parenchymate viſceris & cyſti incluſo, non arrodantur. Vis vitae enim ad febriles motus tardius excitatur, & quanquam in ſanguificationis aeque ac digeſtionis viſceribus nonnullae perturbationes exoriantur; ſigna tamen, quibus abſceſſum adeſſe cognoſcimus, vix ſemper manifeſta ſunt & par-

(*a*) SENAC. de recondit. febr. intermitt. & remitt. nat. lib. 1. cap. 23. lib. 2. cap. 6. de aperientium uſu.

tibus nervoſis non adfectis, aeger ne dolorem quidem magnum percipit (*a*). Certiores autem de malo reddimur, quando praeter alia inflammationis internae ſigna, hepar durum eſt, & dolor fixus hypochondrium dextrum tenet; fluctuationis ſigna, cum ſaepius pus viſcidius ſit, & profundius haereat, incerta ſunt, niſi vomica in convexa hepatis ſedeat, & peritonaeo adcreta in inflammata cutis parte detegatur. Vexant etiam aegros tuſſis & aſthma (*b*). Si enim inteſtina aere expanſa diaphragmati liberum motum non concedunt, ſpiritus longe difficilius & maiori cum dolore trahitur, ſi pus ineſt, cum in inſpiratione aeque ac exſpiratione contractae diaphragmatis fibrae viſcus exulceratum premant, ut ne dicam, ipſam tympanitem, quae ſymptoma abſceſſus eſt, aſthmatis cauſſam exiſtere. Ratio etiam habenda eſt excretionis faecum purulentarum cum tumore & duritie hypochondrii dextri coniunctae. In capitis vulneribus diagnoſis facilior eſt: vomitus enim & reiectio bilis porraceae cum tenſione & dolore hypochondrii dextri, febris mitior quidem facta, nondum tamen

(*a*) MORAND. Mémoires de l' Acad. Roy. de chir. T. II. 4. p. 69. Commentar. Lipſ. Medic. Vol. III. P. IV. p. 583.

(*b*) MORGAGN. de ſed. & cauſſ. morb. Epiſt. 36. a. 5.

prorſus extincta & ſubſidentia tumoris puris geneſin produnt.

In eo autem morbo tantum periculi aegro imminet, ut non modo antequam cavum puris aperiatur, quaevis mala metui debeant, ſed poſtea etiam, quocunque viſceris loco ichoroſus liquor emoveatur, ſpes ſalutis dubia & fallax ſit. Nam ſi vulnus hepati inflictum utplurimum mortem contrahit & Eurypylus, ut apud HOMERUM legimus:

ἀκόντισε δουρὶ φαεινῷ
Καὶ βάλε Φαυσιάδην ἀπισάονα ποιμένα λαῶν
Ἧπαρ ὑπο πραπίδων εἶθαρ ὑπὸ γούνατ᾽ ἔλυσε (a),

regem, quem adverſarium habebat, haſta in hepar eius mox ſub praecordiis immiſſa, interfecerat, quidni etiam ex ulcere hepatis, vulnere profundiore & impuriore unde vaſa maiora laedi poſſunt, idem accidere poſſit? Si ulcus ſponte in cavum diſrumpitur, ad quod medicamenta pervenire aegre poſſunt, quod ex collapſu tumoris & defectu doloris coniicitur, ea puris effuſio ſit, ex qua aeger animo delinqui poteſt & in ſummo diſcrimine verſari. Extant exempla, pus in aliis ad colon, in aliis per ductum choledochum in duodenum effluxiſſe, aegroſque alvinae excretionis purulentae beneficio levatos

(a) Il. λ.

eſſe, cavi tamen exulcerati utplurimum tanta eſt magnitudo tantaque viſceris exeſi mollities, ut iacturam humorum ex profuſiore ſuppuratione diu fere nequeant.

§. XIII.

Curatio inflammationi hepatis adhibenda.

Ad curationem acceſſuri in memoriam nobis revocemus duo eſſe abſceſſus tempora conſtituenda, alterum inflammationis, alterum ſuppurationis; ergo ab his petendae ſunt indicationes. Si lenta inflammatio viſcus tenet & ſupputationis periculum imminet, omnia adhibenda ſunt auxilia, quibus malum, quod praeviſum facilius avertitur, quam praeſens tollitur, ab aegro removeamus. Humores, in ramis venae portae lente moti, alacrius movendi ſunt, quem ad finem ſanguinis miſſio, evacuantia reſolventia & diluentia commendatur. Quemadmodum vero in quocunque morbo curando id maxime a medico agendum eſt, ut cauſſis remediorum ſelectum accommodet, ita non in quocunque aegro ſanguinis miſſionem ſuademus, ſed videndum antea eſt, num abundantia ſanguinis, quo viſcera infimi ventris obruta eſſe poſſunt, cauſſa ſit, an cacochymia, nervorum abdominalium nimia ſen-

ſilitas, vaſorumque imminutum robur accuſanda ſint. Si plethorae univerſalis ſigna extant, vaſis moderate depletis, per omnes corporis partes & viſcera humores abſque ullo impedimento moventur, & redditur, quod ſublatum erat, vaſorum & fluidorum aequilibrium. Molimina fluxus haemorrhoidalis, quae in corpore bonis ſuccis repleto ſanguinis miſſione avertuntur, manifeſto demonſtrant circulum humorum per hepar hoc auxilio corrigi & ad ordinem redigi poſſe, quum huius effectu ſanguinis impetus imminuatur, & vaſa impeditius ſe contrahant. Quis vero neſcit, omnibus, quibus ex infirmis viſceribus, vel cacochymia, molimina, haemorrhoidalis fluxus moleſta ſint, vel in quibus vel his cauſſis haemorrhoides vere fluant, quaecunque ἀναίμασιν inferant, nociva eſſe? In his enim; aucta per venaeſectionem vaſorum imbecillitate, ſtaſis pertinacior redditur, in illis, robore eorum excitato, quidquid progreſſuris liquidis reſiſtat, removetur. In acuta inflammatione curationis principium a ſanguinis miſſione capiendum eſt, maxime, ſi ea cauſſis externis orta fuerit, quae ne tum quidem negligenda eſt, ſi febris praegreſſa materiam metaſtatice ad hepar coniici prodit; ſin ſcirrho hepatitis ſupervenerit, durities pulſus, quid agendum ſit, quemque docere poterit: ſaltim in ſenibus, ſi venaeſectio-

ſectionem gravioris inflammationis ſymptomata flagitent, ea ſaepiſſime vel palliativam curam affert, vel, viribus ob iacturam ſanguinis imminutis, gangraena imminet. Praeſtat autem in brachio, quam in pede, venam tundere. Quanquam enim nonnullis perinde eſſe videtur, utro loco ſanguis mittatur, iidemque nullam revulſoriae venaeſectioni praerogativam tribuendam eſſe cenſent; malumus tamen in ea re Clariſſimum BERTRANDI ſequi, cuius obſervationibus didicimus, quotieſcunque ſanguis e pede miſſus fuerit, toties icteritium cutis colorem auctum eſſe (*a*). Huic ſententiae pondus addunt quae Ill. SCHMUCKERUS obſervavit, qui in inflammatione hepatis, quae vulneri capitis ſupervenerat, hirudines collo & temporibus cum ſummo fructu applicavit, hancque ob rem in BERTRANDI partes diſceſſiſſe videtur (*b*). Vena enim in brachio ſecta, affluxus ſanguinis per venam cavam ſuperiorem imminuitur, & aſcenſus illius, qui inferiore continetur, augetur, quo facto humores ex hepate in ramos venae cavae hepaticos facile redeunt; ſin depletio in vena pedis fuerit facta, vires motrices, quibus humorum curſus

(*a*) L. c.
(*b*) Obſerv. chirurg. T. I. p. 159.

per infimum ventrem dirigitur, imminuuntur & obſtructio obſtinatior redditur. Proxime poſt venaeſectionem evacuantia commendamus, non ea quidem, quae, vaſa irritando, ſpaſmos augeant, circulumque ſanguinis intendant, quorum in iis, in quibus viſceris obſtructio eſt, ſuſpectae vires ſunt, quum haud raro praeter inflammationis augmentum rupturam vaſorum inferant, ſed ſic dicta eccoprotica, quae niſi in haerentes humores ipſos agant, eoſque reſolvant, certe inteſtina leniter ſtimulant, indigeſta everrunt, &, cum bilis ad duodenum allicitur, corruptam materiem ad eum uſque locum perducunt, unde expelli commode poſſit. Quorum in numero inprimis ſalia media, maxime tartarum tartariſatum cum acidis vegetabilibus, pulpa tamarindorum & caſſiae ponimus, quae non ſolum ſuperflua & cruda e corpore exterminant, ſed nocivas etiam bilis vires corrigunt. Neque dubitaremus in lenta inflammatione emeticum lene & ſemel exhibere, niſi nimia hypochondrii dextri durities inveteratum & valde refractarium malum eſſe proderet. Solent quidem emetica, cum ſanguinem exaeſtuent eundemque ad obſtructam partem impetuoſius urgeant, ingens adferre damnum; ab eo tamen errore medentes ſibi cavent, ſi medicamenti vim & mali indolem ſpectant. Parva hypecacuanhae doſis cum ſale medio mix-

tae in ſtaſi parum confirmata non tantum nil mali, ſed, cum haerentes humores moderata viſcerum abdominalium concuſſione moveantur, multum commodi affert. Unde enim emetica leniora in febrium intermittentium cura tantis laudibus extolluntur, niſi quod ſtaſin humorum in hepate, cuius inprimis ratio habenda eſt, tuto & citius, quam aliis remediis tollamus? Secus in acuta inflammatione eſt, ubi ab omnibus emeticis & purgantibus propterea abſtinendum eſt, ne aucto humorum motu ruptiſque vaſis phlegmone gangraena terminetur. Praeſtat diluentibus, melle aqua diluto & enematis emollientibus uti, quibus extus applicati fotus iungantur.

§. XIV.

Curatio abſceſſuum hepatis.

Mutanda eſt curatio, ſi pus adeſſe conſtat. Atque tum ſequi nos oportet duplicem, quam natura ipſa monſtravit, indicationem, quarum altera eſt, ut lenioribus abſtergentibus & evacuantibus corruptis humoribus per ductum choledochum exitum comparemus, alteram ſectione attingimus. Miſeri illi aegri ſunt, in quibus ulceroſus ichor, arroſo diaphragmate, ſibi viam in thorocem patefecit: ſuaderi poſſet, ne, quem

ſervare non poſſe videmur, hunc ſponte relinquamus, empyematis operatio; ſed quid quaeſo boni ſperandum, quum partim diaphragmatis, quippe nervoſae partis, inflammatio aegrum praecipitet, partim ne balſamica quidem commode in ulceris ſinum iniiciantur, quae ichorem abſtergant? Si incertum eſt, quo loco ruptura vomicae futura ſit, omnia fugienda ſunt, quibus viſcera infimi ventris agitentur, ne aeger, ulcere inepto loco & ſponte diſrupto vel animo linquatur & pereat, vel ex reſorptione pernicioſi liquoris, unde plerumque, etiamſi cyſtis non aperiatur, mortis imminet periculum, lente deficiat: aliena ergo ſunt corporis motus & quae alvum potentius ducunt. Quodſi vero faeces purulentae excernuntur & hypochondrium dextrum tumet cum duritie & dolore, praeter leniora evacuantia, mannam, tamarindos & clyſmata abſtergentia, fotus quoque & cataplaſmata tumori ſuperhabenda ſunt, quo abſceſſus aperiri poſſit. Idem agendum eſt; quando tumor durus & rubens in hepatis regione apparet, etiamſi nil purulenti faecibus admixtum inveniatur. Antiquiſſimi chirurgi hos abſceſſus, haemorrhagiam timentes, ferro candente aperiebant (*a*),

(*a*) ARET. de morb. diuturn. lib. 1. cap. 13. Conf. LYSON'S practical eſſays upon intermit-

vel partem muſculorum abdominalium cauſtico deſtruebant (*a*), quo folliculum proxime ſuppoſitum inciderent. Utraque methodus nunc obſolevit; altera, quoniam aegro plurimum doloris parit, altera, quia magna cutis & muſculorum parte deſtructa, vulneris labia difficilius conglutinantur. Recentiores vel acum triquetram paullo maiorem per integumenta & muſculos in cavum pure plenum immittunt, qua methodo Cl. CHESTON uſus eſt (*b*), vel inciſionem faciunt, quam Cel. PETIT commendat (*c*), & quam perforationi acu triquetra factae ipſi propterea praeferimus, quoniam chirurgus ſcalpello uſus citius ſibi cavere poteſt, ne partes diſſecet non violendas; quid quod pus facilius e vulnere, ſcalpello facto, effluat, medicamenta autem melius applicentur? Chirurgus vero, abſceſſum aperturus, ſcalpello ab inferioribus ſuperiora verſus directo ita ſecet, ut vulnus longitudinale & evacuando puri aptum faciat, ſibi tamen caveat, ne ferro limites orbis abſceſſus cum peritonaeo & muſculis concreti excedat: hoc enim

ting fevers, dropſies, diſeaſes of the Liver &c. Vid. Verſion. teuton. Lipſ. edit. p. *96*.

(*a*) BIANCHI Hiſt. hep. P. III. T. I. p. 368. CELS. lib. 4. c. 8.

(*b*) LYSON, l. c.

(*c*) Mémoires de Chirurg. l. c.

facto, pus cum detrimento aegri in abdomen diffunderetur. Plerumque tamen limites vomicae, adhaerentes peritonaeo, duriori & quaſi circulari renitente parte indicantur, quae molliorem & prominentem caveam pure plenam comprehendit. Hanc ob cauſſam Cl. MORAND conſilium praebet (a), ut quantum fieri poſſet, ſcalpellum non parti prominenti infimae, ſed magis mediae iniiciatur, quod recte ab eo moneri in baiulo ipſi vidimus, in quo chirurgus aptam ſed talem fecerat inciſionem, ut ſcalpellum, mediae tumoris parti immiſſum, ad pollicis longitudinem ſuperiora verſus caute protruderet. Si inciſio prima in regione epigaſtrica haud procul a linea alba facta fuerit, Cl. MORAND alteram huic tranſverſam addendam eſſe praecepit, ut, linea alba cum portione exigua muſculi recti diſſecta, puris liberior effluxus eſſet; cum enim margines vulneris lineae albae, ſecundum longitudinem a chirurgo diſſectae, facile ſibi denuo applicentur, humoris, qui ex internis partibus removendus eſſet, egreſſum intercipi. Si locus inciſionis ſub coſtis ſpuriis eſt, neque ſectio in lineam ſemilunarem SPIGELII cadit, longitudinalem ſectionem ſufficere poſſe baiuli noſtri exemplo experti ſumus. Puris eo-

(a) Ib. T. III. p. 69.

pia non omnis mox emittenda eſt, ne aeger ex nimio eius effluxu animi deliquio afficiatur, quod tum facile accidere poteſt, quando ingens vomica hepate continetur & magna telae hepaticae pars in ichoroſum liquidum converſa eſt. Summum etiam eam ob cauſſam foret periculum, quoniam, ſi omnis puris copia uno impetu emiſſa eſſet, vaſa hepatis maiora, vomicae contigua, ſanguine ita dilatari poſſent, ut iis diſruptis, aegro haemorrhagia pereundum eſſet. Striae enim ſanguinis & color flavus puris, quod ex abſceſſu baiuli effluxerat, luculenter declarant, liquorem vomica diu incluſum, ita corroſivum & acrem fieri poſſe, ut non ſolum parenchyma hepatis in liquamen mutet, ſed vaſa etiam primum minora, deinde maiora, arrodat, ut, niſi ante inciſionem abſceſſus, tamen poſt eam, ſanguinem cum periculo aegri diffundant. Inciſione facta, chirurgus, ſpecillo cereo vulneri caute immiſſo cavum diſquirat, &, directionem ſpecilli prudenter ſecutus, de magnitudine & loco ulceris certiorem ſe reddat. Unguenta pinguia nullibi plus damni afferunt, quam in cavum eius modi abſceſſus immiſſa, quoniam mollior hepatis caro ea non fert & ichoris affluxus augetur. Praeſtat, liquorem antiſepticum & qui putredinem coerceat, iniicere, cuius tamen exigua copia cavo immittenda eſt, ne liquor, in

ſinu collectus, corrumpatur. Quilibet facile intelliget, aegro etiam iis medicamentis opem eſſe ferendam, quibus humorum diſſolutio impediatur & vires ſuſtineantur. Quae de obligando & conſolidando vulnere dici potuiſſent, partim propterea addere noluimus, quia haec ex therapiae generalis praeceptis cuique, artis non ignaro, nota ſunt, partim etiam, quoniam eadem ex fontibus a nobis allegatis uberius capi poſſunt. Obverſantur menti alia, quae his, a nobis diſputatis, addere poſſemus, ſed, cum ſcripti limites excedendi non ſint, argumento diutius immorari noluimus.

FRANCISCI SCHOENMEZEL

MED. PROFESS. HEIDELBERGENSIS

OBSERVATIO DE MUSCULIS PSOA ET ILIACO SUPPURATIS.

Heidelbergae 1776.

QUodſi unquam adagium (Principiis obſta) fidem meretur, hanc in rebus ſanitatem ſpectantibus habeat, quippe leviora non raro mala, dum initio pauci habentur, in graviſſima degenerare ſolent. Contuſionis id exemplo confirmare liceat.

Iuvenis viginti octo annorum toroſus, floridus, proceraeque ſtaturae, in dextro dorſi latere ima ſclopeti parte gravius contunditur, ille dolorem iſtinc ſuſcitatum non curans, rem naturae committit, atque omne, elapſis quibuſdam diebus, abſolutum exiſtimat. Interea dolor aliquis in affecta prius parte, leviore licet cum

moleſtia, atque brevi remittens quandoque re-dit. Vere inſequentis anni, tenſione quadam, & dolore praegreſſis, in ſiniſtro dorſi latere, ad coſtas ſpurias fit abſceſſus, quo ſponte con-ſolidato, aeger iterum valuit. Idem per qua-triennium: aſt modo in dextro, modo in ſiniſtro latere, imo in inguine contigit, atque tum de-mum, cum malum ſolito non cederet, artis opem exploravit.

Craſſior ſiniſtra lumborum regio apparet, intumeſcentia ad tertiam coſtarum ſpuriarum ex-tenſa, foramine oboli magnitudinis, in ambitu inflammato, quatuor unciis a ſpina diſtante, ad lumborum ortum patet, levi preſſione multum puris effluit, & ſpecillo cavum detegitur, quod inter latiſſimum dorſi & ſacrolumbalem ad ver-tebras aſcendere videtur.

Aeger violentiam quamcumque prius prae-greſſam abnuens, abſceſſum verno tempore ſibi periodicum affirmat, & reiteratis licet inveſtiga-tionibus, perpeſſae, ſerius tantum, violentiae, meminit. Rebus ita conſtitutis, debite ſinus in-ciditur & mundificantibus, exiguo licet cum ſucceſſu, tractatur, pus enim indies & copio-ſum magis & admodum tenue apparet, quin exploratio, accuratiſſime ſpecillo inſtituta, ali-quod puris diverticulum oſtendat. Quare puris copia pravae aegrotantis inſtitutioni adſcribitur,

atque ut cortex peruvianus interne, adhibeatur, ſtatuitur, infauſto neque cum ſucceſſu; quo enim corticis ſit periculum, copia puris imminui, illius conſiſtentia augeri, vulnus conſolidari videntur.

Vehemens tamen lumbago aegrum cruciat, a qua difficillime truncum antrorſum flectit. Haec dum ita ſunt pluraque contra lumbaginem adhibentur, en! cuncta praeter exſpectationem exaſperata! levem febris inſultum veſperi aeger patitur, incredibilis puris, licet boni, copia intra Nycthemerum profluit, atque ſinus in duos terminari ductus deprehenditur, quorum unus, priore altius directione, aſcendit, alter extorſum verſus coſtarum ſpuriarum tertiam decurrit. Totus mox ductus externus; atque ſuperior, quod profundius inter muſculos demerſus eſt, & commodum puri effluxum praebet, ad fundum tantum inciduntur. Contra peculiarem, quae ſuſpicatur, humorum diatheſin (quibuſdam enim abhinc annis, gonorrhaea laboraſſe fatetur) uſus mercurii internus cortici iungitur, atque decocto vulnus vinoſo & balſamico tractatur. Mitigatur lumbago, brevique evaneſcit, aſt, cum pus & uberius & tenuius profluat, ab uſu mercurii brevi deſiſtitur. Continuato corticis uſu, pus quidem, profligata lumbagine, brevi meliorem refert indolem, neque tamen illius copia

coerceri poteſt, aegroti vires concidunt, habitus corporis depravatur, hectica febris accedit tabi, tandem diarrhoea colliquativa aegrum, abſque tuſſi ulla, aliave moleſtia interimit.

Ob mirum morbi decurſum ſectio cadaveris inſtituitur, en! quae patuere; inciſo extrorſum ulcere, muſculi intercoſtales leviter exeſi, facile penultimam inter, tertiamque coſtam ſpuriam ſpecillum tranſmittunt, quod altiſſime abſque notabili reſiſtentia immerſum, in thoracis cavum penetrare videtur, ſectione per dorſi muſculos ad ſpinam inſtituta; ductus primam lumborum vertebram attingit. Relicto in ulcere ſpecillo, thorax inciditur. Lobi pulmonum undique accreti, facilius in ſiniſtro, in dextro difficilius, cavo ſolvuntur; remoto pulmone ſiniſtro, ſpecillum non reperiri mirum videtur, aſt diligenti diſquiſitione hoc pleuram inter & coſtas penetraſſe deprehenditur, qua inciſa, cum multo pure prodit. Puris fontem, quod a vertebris promanare videtur, detegere necdum licet, dum dexter extrahitur pulmo, hic ultimis adhaerens vertebris, cum violentia evellendus eſt, quo ex magno in abdomen patente foramine copioſum pus profluit. Inciſo abdomine, ſana cuncta primo intuitu apparent. Pſoas tamen dexter ſiniſtro craſſior videtur, quo inciſo ampliſſimus, pureque turgidus conſpicitur ſaccus, quippe om-

nis & Pſoas & iliaci ſubſtantia intus exeſa, atque in pus converſa, ſaccum, ab ultima dorſi vertebra per ilei ſuperficiem ad trochanterem minorem extenſum efformaverat, qui in parte ſuperiore cum diaphragmate confuſus, patens avulſo pulmone foramen conſtituerat.

Aegrum a febre hectica peremptum haecce hiſtoria manifeſtiſſime docet, illam autem a ſupurato pſoa ac iliaco natam, quod nullum aliud occurrit vitium, vix in dubium vocari poterit, unde hecticam febrim abſque nobilis laeſione viſceris oriri, mortemque a ſola humorum diatheſi, viriumque defectu inferri poſſe ulteriore confirmatur obſervatione; quam provide ergo, ne longiorem in fiſtulis, abſceſſibus maturis, ſaccis purulentis moram pus faciat, cavendum?

Facilem in hoc caſu diagnoſin cauſſae fuiſſe, cum ſedes puris vix divinari potuerit, nullus contendat, aſt hanc potuiſſe demus, vix medelae locus videtur; quippe qui puri exitus parandus fuiſſet? larga lumborum muſculos plaga incidere, ad pus, pertuſo pſoa, educendum, dictu facile, aſt, qui muſculorum illorum craſſitiem, neceſſariam vulneris profunditatem, celluloſae hoc in loco copiam noverit, vix non temerarium habeat: aſt lanceola a poſteriore & ſuperiore ilei margine ad pſoam adacta fit, an ne per plagam pus omne educen-

Digitized by Google

dum ? qui fundus ſacci, plaga neceſſario profundior, evàcuari potuiſſet; abſceſſum itaque nulla arte ſanandum, natamque iſtinc hecticam fuiſſe lethiferam, nemo inficiabitur. Aſt quae puris origo ? quae ſacci efformatio ? unde abſceſſus periodici ? quomodo pus intra pleuram adactum? quomodo per ſinum ex oppoſito latere ſacci evacuatum ?

Pus atque cavum quo continetur, pro inflammationis effectu haberi ſolet, quodſi autem in dicto caſu praegreſſa inflammationis ſymptomata non habeantur (quis enim pſoam, inſignem adeo muſculum abſque notabili ſymptomatum ſyndrome, ab inflammatione conſumptum intelligat), nonne & alium, quam quae in inflammationibus adhibetur, pus parandi modum naturae concedamus ? paucae a contuſione effuſae ſanguinis guttulae in pus primum converſae videntur, quo, potiſſima pſoae & illiaci ſubſtantia ſucceſſu temporis exeſa, ſaccus ille amplus efformatus (*).

(*) *Ex ſanguine pus generari* credidit hic Auctor egregius. Rem vero non ita eſſe, obſervationibus nunc eſt evictum, quarum aliquas iam in hoc Opere adduxi. Sunt certe inflammationes, quae ad partes internas contingunt, ſaepe tam *occultae*, ut abſque manifeſta febre, purulenta materia in multis omnino caſibus generetur, neque neceſſarium fuiſſet, ad explicationem, quae experientiae repugnat, ob hoc ipſum confugere.

Miros ſane periodicos, quorum meminimus, abſceſſus habemus, qui a purulento immediate efformati ſacco, eo minus habendi, cum non in dorſo ſolum, ſed & in inguine, a puris ſede remotiſſimo, quoque provenerint. Quid autem providae illos naturae vetat adſcribere? quae corporis invigilans conſervationi, omnibus deſtructioni, quam millenis avertere modis novit, viribus reſiſtit, hiſque exhauſtis ſolum ſuccumbit. Pus reliquorum fluidorum more, ſi ſacco contineatur, reſorberi quis neget? a reſorpto autem ad ſuperficiem corporis denuo vigentibus adhuc viribus delato, dictos cur abſceſſus non habeamus? Quoties noxiam in vegetis materiem a natura ad corporis ſuperficiem depelli cernimus? graviorem ſaepius morbum, natis ad labia puſtulis, averſum, videre licet, atque graviſſimi morbi evacuatione critica iudicari ſolent.

Quod ſiniſtram inter pleuram atque coſtas adactum erat pus, difficilius intelligitur, licet enim, fluida imo & alia corpora per celluloſam moveri poſſe, quamplurimis ab HALLERO obſervationibus evincatur, inde tamen, cur in ſiniſtro potius latere pus, abſceſſum formaverit, exitumque ſibi paraverit, non habetur. Forſan firmior dextri pulmonis accretio, puris illo in latere difficiliorem reddidit effuſionem, quapropter ad ſuperiorem pſoae originem, ad apophy-

ſes ultimae dorſi vertebrae articulares nitens, per foramina intervertebralia penetravit, atque duce ultimo nervorum intercoſtalium pare ad ſiniſtrum partim thoracem, partim ad muſculos illius lateris dorſales pervenit, ibique ſtagnans, exeſa cute profluxit, quod ſinus ſurſum ad vertebras extendebatur, id confirmare videtur. Brevitatem temporis, quo ſectio inſtitui poterat, ſubtiliorem non conceſſiſſe diſquiſitionem, quae natam ſuſpicionem extra dubium poſuiſſet, doleo.

Pulmonem & diaphragma, quin in reſpiratione vel minima laeſio apparuerit, in hoc aegro affecta cernimus; quippe pulmo undique accretus & cum pſoa ac diaphragmate dextrorſum fortiſſime ad aliquot uncias coadunatus fuit: aſt unde pulmonis accretio? cum aeger gravem pectoris affectionem ſe paſſum eſſe, non meminerit. Partes internae contiguae lubrico ab halitu continuo humectantur, hic, cum ſpiſſior fuerit, partibus reſpectivum conſtanter ſitum ſervantibus, illarum concretionem citiſſime perficit, quippe a calore nativo humorem illum celerrime in viſcido mucoſam primum telam, ſucceſſu temporis firmiorem immutari poſſe, obſervationibus & experimentis confirmatur, nonne autem id noſtro in aegro ſtatuere liceat? in quo ob puris copiam ſubtiliorum ac lubricorum penuria humorum fuiſſe videtur. In loco, quo ſaccus dia-

phragma

phragma & pulmonem contigerat, firmiorem, proximior partium contaſtus, adhaeſionem reddidit, neque tamen inde moleſta magis reſpiratio, cum aër libere in-& exſpirari potuerit, neque ulla tuſſis: ab adcretionibus enim pulmones, quouſque aequabiliter cum thorace dilatantur, irritari non videntur.

Anne lumbaginem, quam in aegro noſtro, dum abſceſſus conſolidationem admittere videbatur, obſervavimus, peculiari acrimoniae adſcribamus? imminuto puris fluxu ingruit, hoc reſtituto evanuit, puri itaque in ſacco turgenti adſcribenda videtur. Anne ergo lumbago ſuppurati pſoae ſignum? in hocce caſu extra dubium videtur, qui propterea lumbaginis ſpeciem, quae purulenta dici poteſt, peculiarem conſtituit, atque ex dolore, ſuppreſſo puris fluxu, cognoſcenda videtur.

Largum fuiſſe corticis peruviani in dicto morbo uſum, cum per omnem morbi decurſum adhibitus fuerit, facile cenſendum, optatum autem effectum licet non praeſtiterit, neque profecto praeſtare potuerit, quantum in corrigendis valeat humoribus, non minus tamen inde elucet, quippe pus prius tenue malique moris, ab illius uſu mox correctum, optimaeque indolis apparuit. Dummodo pus debite evacuari potuiſſet, cum cuncta primum ad corticis uſum

ex voto ſuccedere videbantur, curam fauſtiſſime abſolutam fuiſſe, ſuſpicari licet; aſt non aeque fauſto cum ſucceſſu ad corrigendos humores mercurium ſemper adhiberi, quoque ex dictis apparet, humores in effoeto corpore ab illo attenuari nimium, debitaque privari viſcoſitate videntur, unde quod & in cachecticis aut imbellibus, viru venereo infectis optatum effectum non ſemper praeſtet, intelligi poſſe, atque ne minus provide adminiſtretur, quam maxime cavendum videtur.

Leviores quoque primo intuitu affectiones, quandoque malo omine negligi, relata non minus evincunt, idque praeprimis a partium carnoſarum multaque celluloſa praeditarum contuſionibus habeatur, neque enim graviſſimus, quem hactenus morbum retulimus, aliam originem habuit. Venaeſectio, dum ſanguis phlogiſticus apparet, etiam aliquoties reiterata, vinoſa ex ſpeciebus reſolventibus cum ſapone epithemata, nitrum, hebae & florum arnicae infuſum in-& externe adhibitum, quies, his in caſibus ut graviora avertantur, praeprimis convenire videntur.

IOANNIS PETRI FRANK

M. D. CONSILIARII INTIMI ET ARCHIATRI SPIRENSIS &c.

OBSERVATIONES QUAEDAM MEDICO-CHIRURGICAE (*).

ACademiarum princeps atque utiliſſimus certe finis eſt, rariores naturae artiſque effectus fido poſteris calamo tranſmittere, circa notiores vero proceſſus certum tam in obſervando, quam combinando rerum nexu indagare ordinem, quo maior in dies experientiis fiducia, & in ferendo de futurorum eventu iudicio ſalutaris naſcatur providentia.

(*) Praeſentes, quas in Principatu Spirenſi inſtitui, obſervationes, anno 1783. in Actis Academiae Electoralis Moguntinae primum comparuerunt. Cum vero haec ipſa his in terris paucorum inter manus ſint; non inutile credidi, illas exhinc, pro ſtudioſae Iuventutis commodo, ad praeſens opus transferre.

Epidemico nunc autem pruritu conſcribuntur obſervationes medicae: vel quod morbi hiſtorias enarrare videatur facile, vel facilius, iiſdem aut ſemifictis, aut caſu oblatis, lectorum percellere animos. Quodſi hac quidam ratione pergant, abſque omni adhibito ſelectu inexhauſti obſervationum ſatores; vereor certe, ne ſperati ab his in re medica progreſſus ne a longe quidem attingantur. Vera enim ſint in omnibus omnia! ... accumulatis tamen in immenſam illam molem obſervationibus, niſi omne nobis aevum plures largiatur *Morgagnos*, qui ex ingeſtis his ſaepe crudis fortiori ſtomacho chylum praeparent, vel ſicut columbae ſuis pipionibus frumenta ſemidigeſta ingerant, quive, ut naturali utar ſermone, ſedes cauſſaſque morborum ex viſceribus depromptas vel ex praegreſſis explicent, vel in ferendo de his iudicio *praxin* medicam ditare conentur; vix non vana ſcribentium oſtentatio & perdita erit legentium patientia, ut quibus in vita vix unquam obveniant caſus vel enarratis prorſus ſimiles, vel tam facilis agendorum adplicatio.

Scilicet exſpectas, ut meliori ſorte tandem gaudeant obſervationes medicae noſtris temporibus confertim adeo collectae ... cum tantorum interim virorum aevi veteris obſervata practica, maiori forte induſtria, nec inſalutato cer-

te Apolline conſcripta, ingrato bibliotecharum rodantur pulvere!

Eſt tamen, inquis, certa noſtris temporibus praerogativa: quod hypotheſium magna apud veteres farrago locum tandem dederit clariori in phyſicis notioni, quodve opinionum oppido praeconceptarum maxima forte portio philoſophiae indubitato nunc cedat progreſſui, quo maior iam obſervatoribus circumſpectio, & in narrandorum ſerie pulchrior ordo natus ſit.

Timeo autem, ne mera *Auguſtae Vindelicorum* ornamenta iacentem ſculptoris artem excuſare conentur, & cum nunc in obſervationum *numero* quaeratur honor & gloria, vetuſtae aliquid decedat fidei, ſiquid lucri conceſſum fuerit in ſcribendorum ordine & concinnitate. Pinxerunt omnino verius morborum facies veteres *clinici*, etſi colore ſaepe minus ſplendido: & eorum fere ſoli penicillo debetur *pathologiae* noſtrae adſpectus; cui ſi tantum addidiſſent tot hodierni pictores medici: maior nunc eſſet illi perfectio. Aſt vero ſub umbra latet quam una dies peperit, niſi ſua cuique tribuatur obſervationi fides, & vel ipſe obſervator, vel alius, ex longiori eius ſermone colligat & digerat, quae *practicis*, quibus ſcribunt, inſerviant & doctrinam de morborum natura & curandi methodo corroborent.

Optandum hinc foret, & ut ſingulis obſervatis medicis ſuum ſemper ſubiungeretur iudicium lectori clinico praecipuas exponens, quae inde fluunt, ſequelas; & ut ante omnia ſevera narratorum, priuſquam praelo committerentur, ab electis viris inſtitueretur diſquiſitio, ſub quorum tandem auctoritate prodeant digna lectorum attentione fiduciaque monumenta. Non quod privatis Doctoribus denegem, quam quiſque illorum in publico fidem habet; ſed quod certior mihi videatur ipſorum obſervationum conſervatio, maiorque legentibus naſcatur ſecuritas, dignius eſſe cui tempus impendant opus, quam ſaltem de illorum labore confirmari queat, qui vel proprio, vel aegrorum tecto nomine res graves proferunt, quibus plures fidant *practici* in anguſtiis medicis poſiti, quin tamen ſemper omnino pateat, num quid humani ſubrepſerit, vel quin illis, veram ſcriptoris mentem attingendi vel tempus vel facultas data ſint. Quandocunque enim *Societatis publicae* confirmatos labores coram habeo, ſentio ſemper neſcio quam animi compoſitionem, quam vel optimus alius, cuius iam *tot impreſſi agyrtarum clamores* aliquoties aures deceperunt, non niſi poſt plures elapſos annos petere poſſit. Videtur mihi ſic *magiſtratus* quodammodo vices gerere omnis litteraria ſocietas: quae ſi non ſemper facti & aſ-

ſertorum ſuis *actis* contentorum illibatam veritatem proprio ſigillo confirmare poſſit, ſaltem nil unquam tam facile ſuſceperit, quod non maiorem lecturis, circa ſcriptoris ſcriptorumque examini plurium Virorum illuſtrium expoſitorum auctoritatem, fidem conceſſerit.

Haec autem certas ſupponunt regulas, quas ſibi ſemper celebriores *Academiae* in diiudicandis Sociorum laboribus propoſuerunt. Plures ego, forte non ſuperfluas, in operis mei circa *Politiam medicam* futuris adhuc partibus proferam: ſed tale iam eſt *Academiae Electoralis Moguntinae*, cui aſſociari non pridem mihi contigit felicitas, inſtitutum. Cui idcirco lubens ſubmitto ſequentes ex proprio penu deſumptas obſervationes, non quidem ad exemplar proponendas, ſed tamen, ut auguror, dignas, quae in faſtis publicis adnotentur.

OBSERVATIO I.

De ſingulari abſceſſu hepatico.

Parturiens 22. annos nata (uxor chirurgi Spirenſis U. *Siegel* in loco *Huttenheim*) prolis iam in lucem edito capite, ingenti ſubito dolore ad dextrum regionis *uterinae* latus, cum alicuius hic loci *diſruptae* partis ſenſu corripitur.

Partum nunc brevi mora abſolutum ingens uteri haemorrhagia conſequitur duas tandem poſt horas cohibita. Tertio a partu menſe, de dolore affectae partis ſaepius increſcente, cum tumore duro, mox maiore mox diminuto, conqueritur. Sic octo fere annos, menſtruo interim rite (quamvis non ſine dolorum hunc fluxum praeeuntium augmento) ſuccedente, mulier vixerat.

Poſt novem ab ultimo puerperio annos, *denuo impregnatae* ſuccedunt tumoris incrementum, durities maior & doloris intenſitas. Plurimi ex hoc metus, quos tamen omnes fauſta avertit Lucinia. Interim conſueta hucuſque ſymptomata perſeverant, aegramque, menſtruis nequaquam turbatis, ſaepius lecto affigunt.

Tandem ſub finem Septembris 1777. tumor in regione hypogaſtrica increſcit, dolorque fit magis continuus: quin tamen vel minima inflammationis externae nota conſpiciatur; ita ut tam tegumenta communia, quam ſubiacentes muſculi, ſi extenſionem excipias, naturaliter ſeſe habeant.

Adplicantur varia externa ex claſſe reſolventium. Omnibus auctis, ad emollientia confugitur, ſub quorum uſu continuato, quaedam in profundo tumoris palpabilis fit fluctuatio.

Aſt iamiam ex vagina muliebri purulenta effluit & ſubmucoſa materies, quam (cum fluo-

ris albi indicia plane defuiſſent, neque tantae ſecretioni ille ſufficeret) pro ſigno exeſae vel uteri vel vaginae ſubſtantiae, atque pro communicantis primariae ſcaturiginis rivulo eo facilius habui, quod vagina per aquoſas iniectiones probe elota atque deterſa, mox atque repetito *purulentas* congeſtiones ſuper intorta lintea evomeret.

Nunc macies corporis, *lentaeque febris* aucta in dies fatalia indicia. Tumor ad capitis Infantilis molem increverat, & a linea alba, paullo ſupra oſſis pubis confinia, verſus dextri lateris coſtas ſpurias aſcenderat.

Hinc die 11. Novembris 1777. larga ſatis atque ultra pollicem profunda per expertas Chirurgi aulici Domini *Nagelii* manus, in ſede tumoris ima & dextra fit inciſio. Sequitur hanc primo lymphae ſpiſſae ad ſex vel octo uncias, tandem muci purulenti ac gelatinoſi, ſpiſſioris, largior excretio.

Poſt primas ab inflicto vulnere dies, ſpiſſam nimis, ut rite efflueret, materiam attenuare, & ſaccum ſanioſum eluere animus erat. Placebat, quia ſimpliciſſimum, primo hordei, dein corticis *peruviani* decoctum cum admiſto melle roſarum. Ambo mox pepererunt vix tolerandos aegrotae dolores; ſed tamen abhinc ultro confirmata eſt vaginae vel uteri cum aper-

ta cyſtide communicatio. Nempe, praeter quod a diſſecto tumore effluxus purulentus per vias naturales primum ceſſaret, dein, quamvis minori quantitate, eaſdem relegeret; vix iam iniecta erant, quae ſupra memoravi: cum mox ſequerentur exeſos atque perforatos receſſus, & per muliebre oſtium effluerent, colore caeteriſque ſibi ſimillima.

Excepta febri, quae primis diebus aegram magis vexaverat, omnia mox ſperare iubebant felicem curationis exitum: cum ſubito die 2da Decembris dolor urgens ſub ſcapula urgebat a ſpina dorſi adſcendens & ad ſcrobiculum extenſus, quo ſumma reſpirationis difficultas, anxietas magna; lipothymiae & convulſiones per totum corpus exoriebantur. Sic per 40. horas cruciatur miſera: ubi tandem de urente vulneris dolore querela eiuſdem deligationem promovens, ſat largum aquae ex viridi flaveſcentis effluxum expoſuit. Sub hoc corpus totum atque ipſi etiam oculi colore *ictteritio* tingebantur. Sequitur iam *diarrhoea* bilioſa, ſanguinolenta; & ab hac, aegra reſtituitur.

Die 4ta Decembris eadem ſcena luditur eodemque plane naturae remedio clauſa.

Die 10ma Decembris ex vulnere, loco materiae purulentae, effluxit ſanguis fluidus congrumato mixtus. Tempus erat inſtantis menſtrui, quod mox ab hoc locum habuit.

Poſt has dies melius valuit. Interim corticem peruvianum interne adhibuit.

Die 18ma Decembris incepit aegra oſcitare, & multam, eamque ſpumoſam ſcreare ſalivam. Ad noctem eadem ſubveniunt, quae ſupra deſcripta ſunt, ſymptomata, his iunctis multis ructibus, &, poſt epotam tepidam, vomitu muci acidi.

Die 19ma effluxit denuo ex vulnere *aqua intenſe amara* ex viridi flaveſcens, ita quidem, ut intra 40. horarum tempus, eiuſdem quatuor librae & ultra deperderentur. Haec inſequens diarrhoea, & modum effluxui dedit & ſolamen doloribus: qui tamen vix non quavis die recrudeſcentes, ubi plurimum urgebant, ventris fluxu optime ſublati ſunt.

Die 9na Ianuarii, cum vulnus deligandum eſſet, conſueto effluxui *obſtaculum* ſeſe oppoſuit. Levi nunc preſſione tumor coactus, dedit exitum novo puri &, quod mirum erat, *calculo* parvo, hepaticis per omnia ſimili.

Nunc tandem natura mali propius inſpecta, quotidie decoctum aperiens, ex radicibus Cichorei, taraxici, graminis, cum Serolactis; dabantur quoque pilulae ex rheo cum ſapone veneto.

Multo melius nunc habere videbatur aegra, cum inopinato die 18ma Ianuarii, in hepatis

regione compreſſorius dolor, & mox aquae viridis tam magnus ex vulnere fluxus, ut a 22. ad 23am eiuſdem menſis *ultra quatuor libras* largiretur cyſtis, corpore ante hoc in integrum *icterico* colore notato.

Die 25a Ianuarii in melius converſa videbantur ſingula; uſque ad 17am Februarii, ubi eadem, quae 19a Ianuarii, obveniebant, ad 21am Februarii duratura.

Die 17ma Februarii, cum tumor a ſex fere ſeptimanis omnino mollis factus eſſet: nunc nova in eius ſuperiore parte *durities* apparuit, quae ita aucta eſt, tantoſque dolores ciebat, ut 6a Martii, novus *icterus* verſus 8vam eiuſdem convulſiones maximae & ingentia tormina miſeram ad confinia mortis rapere viderentur. Vulnus erat ſiccum.

Die 10ma Martii, dolor qui quodammodo remiſerat, de novo augetur; & a dorſo ſtomachum verſus, *duri*, *prementiſque corporis* ſenſus eſt, ad veſperas doloris levamen & *diarrhoeae*. Nunc quoque in excrementis *albi* coloris, calculum detegunt piſi magnitudine gaudentem; cum interim urina colore *croceo* ſilavidoque praedita ſedimento conſpiceretur.

Die 11ma Martii, eadem mala ſymptomata, quae 8va, apparuerunt. Sequenti die mitigata ſunt adeo, ut ad initium Aprilis aegra ſeſe

aëri libero exponeret. Aſt 3tia Aprilis eadem ſaepius ſalivam exſpuere, de dolore ventriculi a dorſo ad hunc adſcendente conqueritur: Sequenti die, ceſſantibus his, *diarrhoea* cum calculo felleo avellaneam nucem aequante. Nunc multo melius habuit aegrota.

Die 14ta Aprilis novi dolores uſque ad 15tam, cum nova diarrhoea & calculo caeteros magnitudine ſuperante. 16ta duo calculi, die 17ma vero quatuor ſimul depoſiti.

Die 21ma duo alii calculi: aucti dolores, & vulnus iam per octo dies ſiccum, de novo bilioſum humorem largiebatur. Sequenti mane duo calculi mediae magnitudinis in faecibus inventi hunc effluxum ſiſtebant, non tamen omni dolore in hepatis regione evaneſcente.

Die 27ma novae bilis per vulnus exitus. Die 19na mane, cum dolor per effluxum minuebatur; ſubito iterum incenſus eſt ad veſperas. Denuo alvo depoſitus eſt calculus, numero, quantum ſciri potuit, vigeſimus quintus, caeteros vero mole omnes ſuperans. Hic videbatur & dolori & effluxui finem imperare: materia ſecedebat nunc albida, & aegra bene habuit uſque ad 8vam Iunii; tunc vero priſtini, ſed moderati dolores novum calculi ſeceſſum praecedebant.

Ab hoc tempore aegra penitus ſanata vi-

debatur. Menſes per totum morbum naturaliter moti, nunc demum ceſſant fluere debito tempore. Aſt iam & mammarum creſcit & abdominis moles, vulnere ſcilicet abſque omni doloris ſenſu penitus clauſo. Mulier nunc omnino *gravida*, ad ſeptimum fere menſem praematuram prolem depoſuit, caeterum bene valuit. Corpus, quod antea tenue & emaciatum erat, nunc repletum, & perfectam ſanitatem prae ſe ferens, ita, ut ad initium anni huius 1781. viſa ſit optima gaudere valetudine.

Conſideratio morbi.

Mira ſane huius tam diuturni ac rebellis morbi hiſtoria, neque multos forte ſibi in hac quidem parte ſimiles offerens. Quodſi meam ſuper his opinionem adiicere debeam, ſequentia adnotabo.

Non poſſum, quin praeſupponam obſtructum in hac aegra, priuſquam ſub partu primum adficeretur, ductum choledochum per calculos felleos. Per hos vero bilis magna copia cyſtidem impleverat, & praeternaturali modo extenſam, hepatis marginem inferiorem multa ſui parte excedere fecit. Sic fieri potuit, ut, abdomine, mole uteri penitus adimpleto, extenſa veſicula fellea non modo peritonaeo muſculis abdomina-

libus ſubtenſo, ſed & uteri & ovarii dextri velaminibus, quae ab hoc habent, externis *adcreverit;* & tandem aucto nimis volumine *diſrupta*, contentum liquidum per celluloſas vias effuderit. Sub validiori ad partum nixu, ubi de tanto dolore ad uteri dextram regionem & de diſruptae partis ſenſu ſubito conquereretur parturiens: crepantem in parte laterali video *uterum*. Haemorrhagia partum mox abſolutum inſequens facit, ut leviorem hanc uteri rupturam in illa ſaltem ſui parte factam reputem, ad quam ſub graviditate per celluloſos nexus deſcenſa amara ſanies alluſerat, & acore ſuo forſan pro parte iam exederat: aliis, certe ſanguinis non tam per exteriora genitalia, quam in abdominis cavum conſuetum iter eſt: ita, ut quam plurimas vix magna haemorrhagia denotet ruptas utero. Oportet tamen non magnam adeo ſubſtantiae uterinae ſciſſuram fuiſſe, atque amplo ductu cum bilioſo receſſu communicaſſe, quod praeter albidam ſuppuratamque materiam quamvis copioſam ſatis, nihil per vaginam muliebrem excretum fuerit neque tumoris incrementum abinde fuerit impeditum. Cum tamen iniectiones per externum vulnus factae evidenter has vias legerent, in fiſtuloſum ulcus tam diuturno fluxu degeneraſſe videtur.

Attentionem ſane meretur puris in ſangui-

nem fluidum & congrumatum, ubi menſtrua inſtabant, mutatio, & viſceris generationi dicati hoc tempore plethoram particularem, uti fomitis morboſi cum uteri vaſis proximam communicationem luculenter demonſtrat, quamvis non niſi unica hac vice apparuerit metamorphoſis.

Iam haec omnia, & quoad originem mali, & quoad viridis atque intenſe amari liquidi naturam, oſtendebant veritatem diagnoſis, multo vero magis ipſa calculi fellei per abſceſſum excretio. Hic enim in ipſa cyſtide bilis, credo, natus, vel ſi mavis, ex ductu choledocho in illam retroactus (quamvis numerus calculorum per diarrhoeam depoſitorum, & pro parte moles maior ſit, quam qui hoc ſolo ductu contineri potuerint) biliſque fluentem ſecutus, veram mali naturam tandem docuit, & remedia ſaponacea, & liberando a calculis poro biliario paria expoſtulavit: quorum effectus tam felix fauſtuſque fuit, ut ſublata morbi origine, hoc ipſum malum ablatum fuerit, idque eo felicius, quod per novam conceptionem extenſo uteri pariete, celluloſae laminae ſibi adprimerentur, & ulteriori materiae per vulvam receſſui obſtaculum ponerent, integram mox fiſtulae ſanationem promoturae.

Aſt quanta relioſi liquidi, eiuſque meraci e vulnere inflicto excretio!... ut quae per tantum

tum

tum tempus repetitos & copioſos certe effluxus humoris in omnibus bili cyſticae ſimilis largitur : ita ut credibile ſit , hanc minori ore tunc ſaltem ex veſicula ſtillaſſe atque ad uteri latus deſcendiſſe , ubi repleta cyſtide , nova huius extenſio , novos tandem contra ductum choledochum calculis infarctum motus , atque exhinc ſpaſmos , dolores ventriſque constrictiones cieret. Non tam facilem vero deſcenſum bilis arguit , poſt ſingulos fere paroxyſmos diffuſus per integrum corpus *icterus* , atque diarrhoeae bilioſae hanc perpetuo ſanantis ortus , calculique ſeceſſus . Defuit interim cruris dextri per totum morbum oedema , quod pro collecti circa ovarium praeternaturalis liquidi ſigno pathognomico habent auctores : ex quo patet , non maiorem in hoc ſpeciali hydrope vel tumore , quam in ipſo aſcitide oedematis pedum auctoritatem , ut quod ſaepius in ultimo hoc malo defuiſſe recordor.

An vero ex felici hoc aperti tumoris tam profunde ſiti caſu quidquam inferendum eſt pro ſectione ovarii , vel aqua , vel tenaciori liquido turgentis ?

Non auſim certe ex hoc unico proprio , & ex alieno (in foemina tumore in ovarii regione laborante , a chirurgo amico per largam glutinoſae materiae , ſectionis ope peractam eductionem ſanata) licet felici experimento omnimodam me-

thodi ſecuritatem aſſeverare, quae tamen unica videtur in malo alias incurabili, & quam ab Anglo quondam medico *Houſton* adhibitam referunt *philoſophicae tranſactiones* Nro. 381. Sect. 3. Certe quam adeo timemus a libero aëris acceſſu putredinem, noſtro in experimento inſecutam non vidimus; cum tamen bilis tam facile in hanc abeat, atque per quinque menſes aëri per fiſtuloſas vias, ex quibus per genitalia defluxit materia purulenta, aditus ad tumorem quaſi cyſticum denegatus non fuerit. Atque recens hic mihi *hydropici* viri exemplum obvenit, qui, cum ipſi ob oneroſiſſimam aſcitidem, paracentheſi aquae eductae fuiſſent, has denuo accumulatas, novo vulnere curavit educi, fiſtula expoſt per plures ſeptimanas in hoc relicta & quotidie per plures horas, ut aquae continuo has vias legere poſſent, aperta: quin tamen mors illum ideo celerius quam caeteros hydropicos abſtuliſſet, a quorum viſceribus omnis aër mox a paracentheſi abſoluta, anxie averſus eſſet.

Non poſſum denique, quin circa communia morbo noſtro cum *ictero* ſymptomata quid moveam. Quam ſingularis nempe in his eſt *bilis* per *urinam* excernendae facilitas, cum interim, obſtructo ſemel poro biliario & excrementa colorem naturalem perdant, & inteſtinalis tubus ex amari liquoris defectu omnino langueat: qui

tamen ex vaſorum meſeraicorum decurſu tamque facili humorum per haec retrogrado motu abundantius, quam in urinalem veſicam exſtillandus videri poſſit! . . . Quid etiam *icteri* natura ſimplicius, quamque prompta retroceſſio bilis, ut cui ad duodenum vel a ſpaſmo, vel a calculo, vel a verme, vel a tenaci glutine via clauditur, ad cutem externam! . . . Nonne *primus* humani generis *morbus* dici meretur *icterus*, qui in infantibus innumeris matre vix ſolutis accidit, hoſque, vix ſalutatos, depoſito meconio iterum fugit, a levioribus in vita cauſſis revocandus? . . . An igitur anteceſſores noſtri medici tam longe a vero aberrarunt, quod quampluri mos corporis humani morbos *ſuperficiales* iecinori imputaverint, & a bilis lymphae ſubcutanae admixtae varia depravatione deduxerint fertilem *Herpetis Licheniſque* familiam, quam ab ira, *affectu* plane *hepatico*, tam facile irritari video? . . .

Sed non icteri hic cauſſas naturamque ſcrutari animus fuit; hinc ſermoni, cui ſingularis morbi hiſtoria occaſionem dedit, finem imponens, hoc ſolum addam, a me cum effectu non ſpernendo aliquoties adhibita fuiſſe ictericis *ova* recentia, quorum uſum egregium WHYTE & in proprio corpore & in aliis aegris expertum depraedicat.

OBSERVATIO II.

De ſectione ſymphyſis oſſium pubis in Epiſcopatu Spirenſi peracta.

Cum omnes ubique medicorum obſtetricantium animos erexiſſent hiſtoriae duae (*Pariſienſis* una , & altera *Herbipolenſis*) de feliciter diſſecta propter pelvis iniquitatem , oſſium pubis ſymphyſi , neque tamen per hos novae operationis ſucceſſus , ſolutae viderentur difficultates audaci experimento cumulatim oppoſitae ; - movit certe non immerito literatorum attentionem quamplurimam data in ſchedis publicis menſe Aprilis 1778. relatio operationis huius , quae nunc tertia erat , in terra quoque *Spirenſi* ſuſceptae . Talis autem erat :

„ Am 5ten dieſes wurde der hieſige Hochfürſtliche Speyeriſche Hof- und Land-Chirurgus und Accoucheur , Herr Franz Jacob *Nagel* , gegen Abend zu einer in dem eine Meile von hier entlegenen Orte *Zeithern* ſchon den dritten Tag in Kindſnöthen liegenden Frau , Namens Anna Maria Schmidtinn , 32. Jahr alt , berufen , um ihr in der ſchweren Geburt hülfreiche Hand zu leiſten . Da aber Herr *Nagel*, nach genauer Unterſuchung , wahrnahm , daſs eine auf der inern Fläche des Heiligen-Beins widernatürlich entſtan-

dene beträchtliche Knochen-Aufwachſung trotz aller möglichen verſuchten Handgriffe, die Entbindung, wegen um die Hälfte vermindertem graden Durchmeſſer des Beckens, ganz und gar unmöglich machte; ſo entſchloſs er ſich mit Bewilligung der Kreiſſenden, deren Ehemannes und Eltern, die Durchſchneidung der Knorpelvereinigung des Schaambeins zu unternehmen: denn das verſpürte Leben des Kindes widerſprah der Zerſtückung deſſelben. Er machte demnach die Operation im Beyſein des hieſigen Landphyſici, Herrn D. Biernſtiel und des Compagnie- und Stadtchirurgi, Herrn Albert, mit der dem Zuſtande angemeſſenen Behutſamkeit und ſo klüklichem Erfolg, daſs nicht nur die Entbindung eines wohlauſgewachſenen annoch lebendigen Kindes in Zeit einer Viertelſtunde ziemlich leicht von ſtatten gieng, ſondern auch die Kindbetterin ohne alle Zufälle dabey blieb, auch den dritten Tag nach der Operation noch keine andere ſymptomata verſpüret wurden, als jene, welche eine jede ſchwer und langkreiſſende Frau nothwendigerweiſe nach der Entbindung befallen. Bruchſal, vom 8. April (*)".

N 3

(*) Kayſerl. Reichſoberpoſtamts-Zeitung 1778. Nro. 58. I. c. Die 5. huius, *Franciſcus Nagel*, Au-

Valdopere tunc ego quidem optaſſem ; publico, non tam feſtinanter ſignificatum fuiſſe hoc opus ; vel, ſi in eo patefaciendo properandum viſum eſſet, eodem quoque candore communicari potuiſſe infelicem rei ſuſceptae exitum : ne Exteris forte per illa videretur aucta operationis

---

lae Spirenſis Chirurgus, verſus noctem, ad parturientem vocabatur, in loco, miliari unico ab hinc diſtante, cui *Zeithern* nomen eſt, degentem. Foemina haec, *Anna Maria Schmidin* vocata, 32. nunc annos compleverat, & iam per tres dies duris ad partum laboribus urgebatur. Vocatus ſic in auxilium Chirurgus parturientem explorans, mox ad oſſis ſacri faciem concavam, *exoſtoſin notabilem* tactu detexit, quae in medium pelvis deſcendens, rectam eiuſdem diametrum ad dimidium diminuebat, & ſic omnem, tum naturae ipſius, tum artis etiam operam prorſus inutilem hucuſque reddebat. Propoſuit hinc ſibi *Nagelius*, impetrato prius tum parturientis, tum mariti, affiniumque conſenſu, ſectionem ſymphyſeos oſſium pubis hac in foemina ſuſcipere : cum motus prolis adhuc dum a matre perceptus, eiuſdem violentam ex utero per partes extractionem omnino vetaret. Suſcepit igitur hic Chirurgus operationem, eamque in praeſentia DD. Phyſici Civitatis D-ris BIERNSTIEL, & Chirurgi militaris ALBERT tam caute, & tam felici ſucceſſu perfecit, ut non tantum foetus, tempore unius horae quadrantis, vivus, optimeque conſtitutus, ſat parvo labore extraheretur, ſed ut & abſque gravi ſymptomate puerpera perbelle ſe haberet, atque tertia ab operatione die, de aliis non conquereretur, quam quae cuivis alteri mulieri, a partus tam difficili, tamque diuturno opere, ſuccedere conſueverunt.

adhuc dubiae auctoritas. Aſt ob diverſas rationes citius exponere fatalem certe operationis exitum non licuit. Petiit quidem a me, primis iam ab operatione menſibus, Vir Perilluſtris quidam, ſectionis hiſtoriam, quam amico ſibi, celebri chirurgo communicaret. Cum hanc nec recuſare Illi, nec tamen adhucdum publicam reddi voluiſſem: brevem in litteris meis dedi exitus lethalis & factae in cadavere ſectionis narrationem; ea quidem ſub conditione, ut haec uſque ad aliam occaſionem publico necdum extraderetur, cum interim mihi propoſuiſſem, ſuo tempore proprium Chirurgi noſtri Aulici *diarium* ſectionis hiſtoriae adiunctum communicare, quod tunc nondum in manibus erat. Aſt ſequenti iam anno Chirurgiae Profeſſor Herbipolenſis Cl. SIEBOLD, communicatae ſic hiſtoriae mentionem fecit (*), & cum hanc ex defectu diarii chirurgici aliquo modo incompletam dediſſem: eodem laboravit & *Weidmanniana* deſcriptio. Addidit his in alia theſi publica Cl. DE OBERKAMP, quae in litteris germanicis Bruchſalienſis, amico Heidelbergenſi datis legiſſe retulit, nempe:

(*) Comparatio inter ſectionem caeſaream & diſſectionem cartilaginis & ligamentorum pubis, in partu ob pelvis anguſtiam impoſſibili ſuſcipiendas; Praeſide Cl. SIEBOLD. Wirceburgi 1779.

„ Es iſt wahr : lezthin iſt die Frau zu Zeithern operirt worden , Es ſoll zum Weinen geweſen ſeyn , wie ſie aufgeſtanden hat , und doch muſte ſie ſterben , wie , das Kind . Sie iſt geöfnet worden , und nun ſagt man , ſie ſeye niht an der Operation , ſondern am kalten Brande geſtorben . Andere nun fragen : Woher kam dieſer ? Ich meines Orts halte nichts darauf ; zum wenigſten &c. (*) “ .

Non quidem improbo attentum horum virorum ad omnia , quae artem concernunt , animum paratasque his divulgandis chartas : aſt ſi haec citius noſci tantum interfuit , poterant , ut quidem mihi apparet , rem rectius inchoare , neque ſine propiore cum noſtris communicatione atque conſenſu praeſtare meliora . Ineſt quoque ultimae huic relationi aliqua amarities , quae , ſi

(*) I. e. „ Verum eſt , non ita pridem mulier illa ex loco *Zeithern* , operationi fuit ſubpoſita ; ſed lachrymis digna fuerunt , quae abhinc tormina perpeſſa eſt . Sectio Cadaveris facta fuit , atque nunc dicitur , non ex ſuſcepta operatione , ſed ex *gangraena* , demortua . Interrogant hinc alii : unde haec ipſa eſſet derivanda ? Ego quidem parum fidei in talem medendi methodum poſuerim . Saltem &c. “ . Quaeſtio medico - obſtetricalis oſſium pubis ſynchondrotomia num proſit , num laedat , diſſertatione inaugurali ſoluta ; Praeſide FRANCISC. PHIL. DE OBERKANP , authore GEORG. PHIL. BECKER , Heidelberg. 1780. §. VI. p. 21.

in privatis literis aliter ſentienti concedi velit, in publicis animos laedit atque exaſperat.

Ut ergo certius noſcantur, quae operationem opinione citius divulgatam inſecuta ſint, ipſum hic chirurgi aulici diarium publici iuris facio, atque meam tandem de hoc caſu opinionem adiungo.

„ Die 5ta Aprilis 1778. vocabar ad parturientem Annam Mariam *Schmidt*, in loco *Zeuthern* (archiſatrapiae Kislavienſis), morantem, annos 32. natam, atque iam in tertiam diem partus doloribus laborantem. Tactu explorans infantis ſitum, inveni caput praemagnum in apertura pelvis ſuperiore haerere *incuneatum*, facie ad dextrum pelvis latus converſa, frontis laterali & ſiniſtra parte ad os pubis valide adpreſſa. Videbatur autem iniquus hic capitis ſitus ab exoſtoſi a promontorio oſſis ſacri & ultimae lumborum vertebrae in pelvim ultra aliquot pollices extenſa cauſari: cuius tam indubitata apparuit tunc tangenti digito praeſentia, ut, cum propter rei dignitatem, Medicinae Doctor & Phyſicus Bruchſalienſis Dominus BIRNSTIEL atque alius Chirurgus urbis Dn. ALBERT, ad parturientem accerſiti fuiſſent, ambo idem corpus peregrinum pelvis aperturam ſuperiorem tranſcendens repetito attactu diſtinguere & pro praecipua impediti partus cauſſa agnoſcere non haeſitaverint „.

„ Hucuſque neque *verſio* prolis tentari poterat , tum ob genitalium ſiccitatem , tum ob capitis *incuneationem* , neque forcipis adplicatio profuerat : ita ut partus , annuentibus ita & Medico & altero Chirurgo , abſque infantis laeſione ſperari non potuerit . Conſideratis ſic omnibus , unanimi voto ad novam atque bis iam feliciter tentatam ab aliis operationem , ſectionem ſcilicet ſynchondroſeos oſſium pubis confugimus . Proponebatur mox haec noſtra reſolutio parturienti , cuius vires adhuc ſat integrae viſae ſunt , eiuſdemque adgnatis atque marito : quorum obtento conſenſu , ſequenti modo res peracta eſt “ .

„ Tegumenta communia ſuper oſſe pubis in plicam tranſverſam ſublevata , in directione ipſius ſynchondroſeos , una cum ſubcumbente hic adipoſa diſſecabam , & huius accuratiorem ſeparationem a coniunctione oſſium cartilaginea lentius ſuſcipiebam . Tunc cultro firmiore , ſat facili nixu , diſſecta ligamenta & cartilago intermedia , atque mox ſeparata ſunt edito ſonitu , crura oſſium pubis . Sequebatur haemorrhagia *uncias circiter quatuor* adaequans . Sic *ad unum pollicem cum dimidio* aucta pelvis diametro , *verſio* infantis , atque eius per pedes extractio , *quamvis adhuc difficilis* , ſat brevi tempore peracta eſt . Debilem adhuc vitam vivebat infans , capite tam ab oſſe ſacro , quam a pubis oſſibus laeſo atque

intrapreſſo: ita ut adminiſtrato baptiſmate, poſt quadrantem horae fato cederet ".

„ Omnia haec egregie ſuſtinuerat Parturiens. Iam vulnus uniente vinctura firmatur, & in optimum ſitum repoſita aegra, *inflammata* a partu difficillimo *genitalia* fomentantur. Poſt aliquot horas duo applicata ſunt enemata ".

„ Nox abſque dolore praeterlabitur ".

„ Die 6ta Aprilis, febris & ſitis moderata; *de dolore lumborum & regionis oſſis ſacri nondum conqueritur aegra;* aſt vulnus doluit, ubi clyſmatis adplicandi gratia corpus ſitu mutandum erat. Abdomen quoque dolebat. Lochia mediocriter fluebant, ſitis aucta ".

„ Abdomini cataplaſma ex floribus ſambuci, chamomillae cum farina in lacte coctum imponitur. Genitalia decocto ſpecierum reſolventium fomentantur. Praeter cremorem hordei & oryzae cum iuſculo vitulino porrectum, dabatur oleum amygdalarum cum ſyrupo altheae, & nitrum in aqua ſolutum ".

„ Nox inquieta, & ſomnus terrore ſaepius interruptus ".

„ Die 7ma Aprilis poſt meridiem, ſitis maior, abdomen magis dolet, genitalia minus tument minuſque inflammata ſunt. Pulſus tenſus, plenus, dolor in loco ſeparati oſſis, ſub motu corporis, auctus, & ad utramque regionem inguinalem extenſus ".

„ Deteſto vulnere apparebant eius labia inflammata, ſicca. Ex profundo factae ſectionis fluebat ſerum tenue, ſubcruentum. Tegitur vulnus linteis carptis, balſamo copaivae & aqua thediana imbutis, quibus ſuperimponitur emplaſtrum de gummatibus “.

„ Lochia mediocri copia & tenuiora fluunt; alvus ab operatione adhuc clauſa “.

„ Facta nunc eſt ex brachio venaeſectio & ſanguinis libra una educta “.

„ Medicamina ſupra dicta cum cataplaſmate & fomentis continuantur dato quoque enemate. Iuſculis additur chaerefolii herba “.

„ Die 8va Aprilis poſt meridiem ſitis & febris videntur imminutae. Horis matutinis aderat tuſſis, ex qua magni in abdomine & circa vulnus, ad regionem inguinalem, *lumbos*, dorſum, axillas, & denique in crure dextro *dolores*, uſque ad pedem extenſi. Sub *mamma* ſiniſtra ſenſit aegra dolorem punctorium & urentem, quamvis mole haec pars nondum increſcat. Alvus ter reſpondebat, *urina abſque dolore ſecedebat*. Nunc corpus tranſpirat, lochia parce fluunt, abdomen adhuc quidquam dolet “.

„ Vulneris labia adhuc ſicca, ruberrima, ſenſibilia. Ex fundo vulneris ſeri ſubcruenti effluxit circiter uncia una. Utebatur nunc aegra infuſo tuſſilaginis & veronicae. Dabantur quoque

rheum, cremor tartari & nitrum. Fomentationes & cataplaſmata continuantur ".

„ Die 9na Aprilis verſus meridiem omnia in melius verſa: febris erat multo minor, ſitis parca, dolores praedicti, exceptis illis, quos ſupra os pubis & in inguinibus ſentiebat, ceſſabant; tranſpiratio optima. Lochia perparca, aquoſa. Conſtrictio ventris cum dolore multum imminuta. Urina abſque obſtaculo & libere fluit, dolorem in pudendi labiis creans ".

„ Vulnus boni coloris, minus inflammatum, labia pure tecta. Ex vulneris fundo, ut heri, fluxit materia, magis tamen *ſanioſa foetens;* manet eadem cura, praeterquod fomenta ad genitalia ceſſent, cum & tumor eorundem & inflammatio abſint ".

„ Hora tertia pomeridiana, copioſa in pectoris ſuperficie *purpura alba* cum aucta tranſpiratione apparuit ".

„ Verſus horam ſeptimam veſpertinam *anxietas* magna, reſpiratio difficilis, *ſuffocationis* metus invadunt aegram. Ad undecimam noctis *ſudore* copioſo haec omnia, atque *ipſa purpura diſparuerunt* ".

„ Die 10ma Aprilis hora ſecunda poſt meridiem, febris multo minor ac heri; reſpiratio facilis, tranſpiratio bona lochia, parca. Mammae nunc ſerorientur, ſitis parva, alvus ſoluta

ſine enemate ; dolor ; immoto corpore ; non magnus. *Sub oſſe ſacro & eiuſdem lateralibus partibus ardorem magnum aegra perſentit* ".

„ Aperto vulnere ſiſtitur pus bonae notae ; linteis adhaerebat ſanguis coagulatus fibroſus. Ex cavo quod infra arcum oſſium pubis eſt (veſica enim urinaria hucuſque non inveniebatur repleta & extenſa) *ſanies valde foetida* fluebat ".

" Eadem vulneris tractatio, idem victus ".

„ A decima noctis uſque ad horam ſextam matutinam ſequentis diei (11ma Aprilis) ſuccedunt ſibi anxietas, ſpirandi difficultas, *convulſiones* manuum ac pedum, & ſuſurrus aurium ".

„ Hodie aegram invenio valde debilem cum pulſu celeri & parvo ; alvum & urinam inſcia deponit, lochia parca, tranſpiratio ſuppreſſa. Vulnus ſuperum pus largitur bonum, ſed ex cavo ſub oſſibus pubis, griſeae & foetidiſſimae ſaniei maior portio ".

„ Vulnus eodem modo tractatur, & praeſciente medico ordinario aegrae ob convulſiones & ſpaſmos ſequentia ſucceſſive porriguntur ".

Recp. Aquae mentae
melissae a. unc. jj.
Pulv. antiſpaſmod. Stahl. drachm. j.
Liq. corn. cerv. ſuccin., drachm. ſem.
Laud. liquid. ſyd. gut. XV.

Syrup. diacodii unc. j.

m.

„ Uſque ad veſperam valde debilis aegra, ſed caetera dicta ſymptomata non obveniunt. Tranſpiratio per frequentem corporis iactationem & linteorum mutationem ſuppreſſa, augetur; purpura alba iterum exſurgit, & pectus allevatur".

„ Sic ſat quiete, uſque ad nonam matutinam ſequentis diei, utpote 12mae Aprilis, ſeſe habuerat; cum tamen mox, verſus meridiem, convulſa & agonizans inveniretur aegra, paullo poſt mortem paſſa".

Talis fuit, adnotante ipſo chirurgo, rerum decurſus. Sequitur nunc ulterior harum conſideratio.

Antequam vero ſecti cadaveris hic tradam hiſtoriam, praemittenda videntur eſſe aliqua ſcitu non inutilia, ut recta tandem habeatur de re non parvi momenti idea.

Tradita eſt mihi in nonum iam annum omnis in hiſce locis parturientium cura: ex quo ſcilicet Celſiſſimus Princeps hanc adminiſtrationis publicae partem ſane non infimam ſuſcipere & emendare dignatus eſt. Inſtructis a me ſucceſſive fere omnibus Provinciae *Spirenſis* obſtetricibus, ſingulis his cis rhenum fluvium degentibus eſt onus impoſitum, ut omnem partum, ex quo ex illo maius videtur imminere periculum, mihi

mox cognitum reddant. Tunc vel ego, vel alius a me commiſſus ad aſſiſtendum parturienti properamus. Quicunque autem ſit rerum exitus; hic ſingulari libro adnotatur, in quo & ipſarum obſtetricum qualitas ac vitae continetur ratio. Sed de his alibi!

Cum ergo abſolvendo difficili partui ſibi viderentur impares ambae obſtetrices (non quidem dexterrimae) pagi *Zeithern;* atque Chirurgus Bruchſalienſis Dn. ALBERT ibidem commoraretur: mox advocari curavit Chirurgum Aulicum Dn. NAGEL. Hic poſt varia irrita conamina, miſit ad me ſocium, qui ſitum foetus, pelviſque praeternaturalem ſtatum referret, & ſi morbus, qui me tunc iam per menſem fere domi detinuerat, permitteret, ad parturientem invitaret. Viribus autem a febre fractus, atque omnis fere motus impotens, nil hic praeter conſilium dare potui: cum interim Dn. BIERNSTIEL, Bruchſalienſis Phyſicus, ad aſſiſtendum partui mox abiret, conſului, ne quid novi temere tentaret Chirurgus, qui curaverat mihi nunciari, ſe abſque ſectione vel caeſarea vel ſymphyſeos oſſium pubis, abſolvendo partui futurum imparem. Monebam, *exoſtoſis* relatae praeſentiae me necdum fidem dare: quod non probabile videretur, hanc *exoſtoſin* in adulta, ſana muliere, quae plurium, etiam vivorum infan-

tum

tum non ita pridem mater fuiſſet, tam brevi intervallo natam eſſe; quamvis pelvis forte nimis arcta, & tranſmittendo *maiori* foetus capiti minus apta eſſe poſſet: quod & ultimi duo partus demonſtrare videbantur, ut qui non niſi magna difficultate & adiuvante alterius Chirurgi manu, infantibus ſub hoc, mortem obeuntibus abſolvi potuerunt. Forcipis adplicationem adhuc repetito tentandam eſſe moneo. Quodſi vero pateret certa & huius inutilitas; committendum credidi & Medici & Chirurgi obſtetricantis iudicio, quae huic caſui magis conveniret operatio. Cum autem praeſens nunc apud parturientem Medicus idem de hoc iudicium tuliſſet, atque uno ore exoſtoſin, pelvis diametrum minorem anguſtantem tactu exploratam, adgnoviſſent; ſuſcepta tandem eſt operatio.

Mortua iam puerpera, valde optabam cadaveris ſectioni adeſſe: ſed debilitas nimia limites poſuit. Curavi tamen, ut Domini BIERNSTIEL & NAGEL, & qui hos iuſſu Principis ad pagum Zeuthern concomitabat, dexterrimus IOACHIMUS WRABEZ (Celſiſſimi Principis Epiſcopi Chirurgus primarius, fratrum miſericordiae in Noſocomio Bruchſalienſi Prior, & Chirurgiae Profeſſor) ſub manu *pelvim* mortuae una cum contentis & adnatis *muliebribus* in- & externis domui meae amice inferrent, ubi demum omnia propius inſpecta ſunt.

Nonniſi pelvis, & muliebrium conditionem hic mihi examinare licuit, atque in foemina alias ſaniſſima haec luculentam ſatis mortis cauſſam prodidit. *Sphaceloſa* ſunt genitalia externa, praecipue vero vulneris labia. Hiant adhuc ore largo, aſpero, lurido, diſſecta pubis crura. Celluloſa tela quae ſub arcu eſt, *ichore* foetidiſſimo imbuta, urethra illaeſa reperitur. Sphacelus a labiis genitalium magnis, ad vaginam, perque hanc ipſum os, collumque uteri adſcendens, omnes has partes in facie praecipue *poſteriore* occupaverat. Uteri ſuperficies interna, poſterior, ſubcruenta putredilaginoſa, anterior ſat integra.

Ablatis hiſce partibus, pelvis nunc conſtitutio inſpicitur. *Exoſtoſis*, quam ita certo tetigiſſe credebant, ut eius longitudinem, ultra duos pollices, directionem vero a promontorio oſſis ſacri ad pelvis axin deſcendendo obliquam indicarent, *nulla*. *Prominebant* tamen *nimis* in cavitatem pelvis oſſis ſacri ſuprema, & ultimae lumborum vertebrae ima, adglutinatae ſibi facies, atque ſic diametrum hanc a pubis oſſe ad promontorium decurrentem, *iuſto minorem* reddebant, ita quidem, ut haec in *recente* cadavere non ultra *tres pollices* haberet. *Coniugata* pelvis, ſeu tranſverſa diameter naturalis, neque aliud adparet pelvis vitium.

Symphyſin nunc poſteriorem ambaſque oſſis ſacri cum iliis coniunctiones inquirens, nullam hic inflammationis aut diſruptae fibrae notam invenio: ſed vix cohaerent nunc, diſtenſiſque ligamentis, oſſa laxe unita, facillime ſemoventur.

Narratorum adumbratio.

Haec omnia ſane docent, ex inflammatione & ſubſequente *gangraena* mortem ſubiiſſe mulierem puerperam, quae herculeo animo ſe operationi chirurgicae ſubiecerat. Quodſi illius mecum hic perpendam originem: non video, cur ſectioni omnino adſcribam partium huic vix ſubmiſſarum tam late extenſam corruptelam. Certe infantilis capitis praemagni, cuius, ſi datum fuiſſet, propius metiri diametros optaſſem, *tridua* fere incuneatio, multique obſtetricum conatus, hoc inter & vaginae poſteriorem faciem, manus ad uterum ducendi, uti demum perpetui mulieris vegetae nixus, has partes late ubique inflammare, vitalem vaſorum deſtruere tonum & ſphacelum ſic generare potuerunt. Eſt tamen magni mihi ſemper momenti habita ſanguinis ab hac operatione in pelvis telam celluloſam neceſſario tranſudantis vis noxia; eiuſdem inevitabilis fere corruptio in tam laxo tamque favo-

rabili putredini loco; uti ichoris ex tam profunda ſpecu vix non impoſſibilis eductio; quo certe fieri debet, ut mox omnem viciniam tetro virore inficiat, &, abſcentibus licet cauſſis ſupra allatis, perpetuos comites habeat vel gangraenam vel fiſtulas difficulter ſanabiles.

De neceſſitate tam dubiae adhuc operationis in caſu narrato, aliter ſentio. Quodſi enim locum habuiſſet *exoſtoſis* illa pelvim obturans: certe nihil a ſynchondrotomia ſperare licuiſſet; cum ex inſtitutis plurimis experimentis conſtet, pelvis minorem diametrum, licet crura pubis diſſecta unum cum dimidio pollicem ſecedant, nonniſi aliquot ſaltem lineis augeri, neque tanta unquam ſperari potuerit pelvis dilatatio, quantam quidem exegiſſet partus ſumma difficultas. In noſtro certe caſu, ubi Chirurgus mihi referebat, ſat facilem fuiſſe, ex ſiniſtro latere, manus chirurgicae ad parturientem acceſſum, quamvis a ſede dextra omnis conatus forcipis immittendi brachium & per id ſemovendi capitis, irritus fuerit, ubi ob capitis magnitudinem & eiuſdem incuneationem validiorem, verſio foetus & eiuſdem per pedes extractio ſuſcipienda non erat, admiſſa forcipem adplicandi impoſſibilitate, vel *ſectio caeſarea* indicabatur, vel capitis infantilis *perforatio*. Illius tanta omnino eſt atrocitas, atque tam dirus per experimenta repetita de-

monſtratus exitus, ut, monente quoque Celeb. RICHTERO, idem ferme ſit, & hanc inſtituere & ipſam pro ſervanda prole matrem necare (*).

Quid hinc movendum? . . . Ego quidem in re ſaepiſſime impugnata, certam, eamque foecundam reipublicae iam civem, iam uxorèm civis dilectam, & plurium forte adhucdum filiorum futuram matrem, tam dubiae vitae foetui, tam incerto mundi candidato praeferre poſſe mihi videor. Non agam? . . . . moriuntur ambo. - Salvabo illam... Vetas? . . . . ergo infauſto hoſpiti matrem tu ſacrifica, & vel iam mortuum, vel poſt pauca ſuſpiria exſpiraturum extrahe!

Non ego his novae operationis inventum plane reiiciendum putem, ſed, cum tam facilis videri poſſit eiuſdem executio, tam difficilis vero conditionum, ſub quibus vere indicatur, determinatio: valde vereor, ne quandoque has ſupergrediendo, manum admoveamus, ſi non parturientibus lethiferam; arti tamen ob eventus non proficuam. Optandum certe foret, quod alibi iam propoſui, ut Chirurgis imponeretur lex, quae teneret omnes, in gravidis mortuis, ſub eadem cautione ac in viva mu-

(*) Chirurgiſche Bibliothek, V. Band, 2. Stück, S. 214.

liere, hanc operationem, vel, ubi magis indicaretur, caeſaream, inſtituere omneſque eventus, & quae cadaverum ſuo tempore ſuſcepta denique ſectio docuiſſet, *publicae ſanitatis collegiis* patefacere. Ego hic ab ulteriore quaeſtionis perdifficilis diiudicatione abſtinebo, candida rerum a viris in arte verſatiſſimis, hinc circa fatalem eventum, qui ſero nimis, evitari non potuit, facile diſculpandis, in noſtra Provincia actarum narratione contentus, ad veritatem a poſteris felicius eruendam, hiſce quidquam contribuere credidi.

OBSERVATIO III.

De Paracentheſi in aſcitica muliere gravida ſuſcepta.

Ad uxorem militis 36. annorum vocatus, quae hydrope abdominis ſat inſigni laborabat, porrectis fruſtra diureticis remediis, conſilium dedi, ut aquas paracentheſi educi curaret. Effluxerunt ſex fere aquae menſurae, & aegra, cui tunc cortex aliaque confortantia remedia exhibita fuerunt, videbatur reconvaluiſſe: uſque dum poſt octo circiter menſes, anno ſcilicet 1770. tempore autumnali, denuo accerſitus, novum abdominis tumorem novaſque in eo fluctuantes aquas percipere datum erat.

Auxilium priſtinum ex paracentheſi nunc iterum petiit miſera : ut cui ingreſſus ex propendente abdomine difficilis & impedita reſpiratio oneroſiora erant.

Aſt hic mihi dubium circa foeminae graviditatem ſuboriebatur : nam praeterquod durius quodammodo ad attactum in ima regione abdomen, ſilens menſium fluxus, & aliqua faciei mutatio tale quid indicare videbantur ; morbus hic non raro conceptui non obeſt, prolemque ſanam naſci ex utero aquis circumdato non impedit. – Subriſit autem dubitanti mihi, uti ſub coena prophetizantibus quondam *Sara* angelis fecerat, mulier, atque in propriam conſcientiam iuravit plurium iam infantum mater experta, ſe omnino non eſſe impraegnatam.

Docuiſſet forte veriora proprior genitalium ipſorum inſpectio ; ſed cum ſe ſuper haec certam profiteretur aegra ; ultra pudicam urgere nolui & extenſo multum ventri ad latus ſiniſtrum tricuſpidem acum infigi curavi.

Eductis tribus fere aquae menſuris, cum ego ambabus manibus ad avertendas Lipothymias ipſemet abdomen comprimerem, attonitus valde prolem ſenſi in utero ſeſe egregie agitantem volaſque meas percutientem. Eoſdem nunc motus annunciavit perterrita mater.

Cum tamen omnia proſpere ſuccedebant ;

educendas credidi omnes ſimul aquas ; atque mox abhinc confortantibus remediis & matri & foetui ſuccurrendum putavi.

Poſt quatuor fere menſes, illa ſanam peperit filiam. Aſt cum iamiam novus increviſſet hydrops & ſanguine a partu magis deperdito pabulum morbo oblatum fuiſſet: poſt aliquot menſes aſcitica obiit.

Commentatio,

Non memini me factae paracentheſis in gravidis hiſtoriam legiſſe (*), atque nec ego quidem illam celebrare auſus fuiſſem, niſi altercans mulier dubitantem, &, ut fieri ſolet, credulum tandem me virum decepiſſet.

Uteri tamen, interpoſito aquoſo latice, ab acu laeſionem timere adeo non deberemus, in quantum ſcilicet illius moles in abdominis cavum adeo nondum protuberat, ut, retropreſſis inteſtinis, ad peritonaeum & abdominales muſculos adſurgens, locum occupet operationi huic dicatum.

Paracentheſis in hac muliere poſt quintum

(*) Apud SWIETENIUM tamen unum, & apud paucos alios, qui tunc in mentem ſcribenti non venerant, aliquot ſuſceptae in gravidis paracentheſis exiſtunt caſus rariores.

graviditatis menſem ſuſcepta nec uterum laeſit, nec abortui occaſionem dedit, nec foetus dies & augumentum turbavit: ſed credendum eſt, in maiori iam malo & ad matris vitam & ad partus felicem ſucceſſum non parum contribuiſſe.

Eſt tamen in *hydropicis* foeminis, matrimonio iunctis, vel & in puellis ab omni ſuſpicione non liberis, praecautione opus, ne medicorum famae obſint eventus impraeviſi: vel quod poſt mortem *gravidae* reperiantur, quas in vita fuiſſe non detexeris; vel quod revera non fuerint, quas utero habere, vel ab ipſis aegris, vel ab aequivocis forte ſignis ſeductus, affirmaveris.

Hinc conſilium dare praeſtat, nullam in his circumſtantiis mulieri fidem adhibendi, niſi digitus, uterino ori admotus, eadem docuerit & caetera omnino dictis reſpondeant.

Atqui nec haec omnibus ſufficient. Ipſius uteri in mortua muliere duodecim aquae flavidae libris repleti ab amico recens exemplum coram ponitur; potuiſſet hic tumor & digitum meo in experimento fallere & aſcitidis iunctae ſanationem retardare, quod graviditatem mentiretur extenſus aquis uterus. Sic fefellit ante quinque annos expertae obſtetricis manus mulier hydropica, quam tactu explorandam ipſi commiſeram: quum enim inanem foetu uterum obſte-

trix affirmaret ; neque tamen ego ob ſenſibilem viſcerum in hoc ſubiecto corruptionem, paracenthefin conſulere potuiſſem, lenia dedi remedia, neque amplius fidem adhibui muliebri verbo, quamvis miſera non omnem ſuſpicionem graviditatis a ſe avertere contenderet. Poſt ſex ſeptimanas haec ipſa mihi prolis in utero motum nunciat, & poſt quatuor circiter menſes felicem partum edit aquis etiam liberata mulier, poſt duos ſaltem annos novo hydrope tandem extincta.

Sed alterius ex praxi mea hic iuvat meminiſſe obſervationis huc aliquid facientis. Anno 1772. menſe Decembri vocabar ad uxorem Piſtoris Bruchſalienſis 49. vel 50. annorum : haec phthiſi laborabat pulmonali declarata & aquas habebat in abdomen effuſas. Cum per tres ſeptimanas varia tentaſſem ; gravidam ſe gloriabatur vetula, idque, cum plures iam ventre proles portaſſet, tam certo confirmabat, ut graviter offenſiſſe videbar, ut qui de aſſertis dubitare auſus eſſem. Obſtetrix tactu explorans uterum, non ex hoc quidem gravidam edicebat ; aſt vero cum aegra variis vicibus ipſius obſtetricis manus ventri ſuo admoviſſet, ambae tandem mulieres graviditatem confeſſae ſunt. Mihi autem ventrem foeminae tangenti non dabatur moventem ſe in utero foetum perſentire : hinc in dubio mulieri per-

tinax ; neque in prognoſi quidquam promittere marito viſus, tandem dimiſſus ſum, alioque medico locum cedere coactus.

Poſt tres ſeptimanas mortua mulier, mox ab obitu, ſectioni caeſareae ad partum ventre extrahendum ſubiicitur: effluunt copioſae aquae & in his natare vident tumorem undique liberum (cyſticum forte, aut hydatidem auctam) infantile caput mole, ut referebant, aequantem.

Hic ergo tumor miſerae, iam ſaepius matri, impoſuit, prout motu, foetuum agitationi ſimili, abdominalem fornicem percutiebat, locumque nunc hunc, nunc illum eligens, incarcerati partus impatientiam imitabatur.

Haec omnia videntur docere, non adeo tutam eſſe ſemper aſcitidis in foemineo ſexu diiudicationem & illius a graviditate vel necdum declarata, vel clandeſtina, rectam ſeparationem: cum tam ſaepe haec hydropi iungatur, vel iſte demum morbus a callidioribus puellis graviditati doloſe ſubſtituatur & deponentem medicum decipiat. Quodſi nec fluctuantis in abdomine aquae motus perceptus, nec, accurata licet, uteri inquiſitio ſemper omni dubio ſolvendo par ſit: ſupereſt, ut circa paracentheſin inſtituendam ſecuri reddamur, ubi graviditatis vel ſaltem ſuſpicio contraindicare videatur. Iam me, hoc unico exemplo nixum, niſi mihi videatur valde exten-

ſus uterus; quidquid in ſe contineat; nihil ab-ſterrebit, quin aſcitidis curam, ſi unquam acu; in tempore opportuno adgrediar: cum, niſi ſat cito in hocce malo ſuſcipiatur; uti ſeptuaginta & ultra iam hiſtoriae paracentheſis, fruſtra ae-grotis meis adhibitae docuerunt, nec unquam par fuerit inventa malo radicitus tollendo.

Digitized by Google

AUGUSTI FRIDERICI WALTHER

PROF. LIPSIENSIS

DISSERTATIO

DE

SCARIFICATIONE OCCIPITIS

MORBORUM CAPITIS AUXILIO.

Lipſiae 1741.

§. I.

ETſi plures artis doctores per plenas ſanguine arterias, venaſque, tanquam ſi rigidi canales eſſent, & undis, a corde delatis aequalibus, viribuſque, quas nihilo minus rami partiuntur, ipſum humorem in corpore humano progredi contendant, ut neque in morbis alterum locum, quo venae inciduntur, & ſanguis detrahitur, prae altero ſcrupuloſius ſeligendum eſſe putent: attamen haec vaſa, maximeque arteriae, rapido flumini per ſe cedunt, & laudatorum diverſa elaſticitas vaſorum, cum numero, longitudi-

ne, & ambitu ramorum, omnique; & varia quidem libertate, qua per laxa, & magis denſa loca ſanguis progreditur, varieque interim ſolvitur, & ad fluxum diſponitur, tantum infert, ut vires acceptae, & ſanguinis promoti celeritates, in quavis a corde diſtantia, ſicut aliorum motus liquorum in tubulis rigidis determinari nequeant; ſed etiam illa efficiunt, ut varii ipſius humoris nixus, ac ſingulares decubitus, in ſanis, hoc, alioque corporis loco; poſitu & functione, vel aliter in partium quoque morbis, ſubinde fiant, qui medicorum attentione digni ſunt. Nam, praeter ea ſingulae corporis, praecipue internae partes, nativas ſuas, variaſque vires obtinuerunt, ut his, illiſque in vita ſuſtinendis pares, impareſque inveniantur; & hanc bonitatem in ſano homine tonum partium vocant, ſicut aliter in morbis vitium huius accuſant, cum ſatis mature mortales praeter aliam cauſſam inde debiliores ſunt, aegrotant, vel tandem obeunt. Neque vero iam quaerimus, utrum ille partium tonus a nervorum ſucco, aut ab anima, an vero ab utroque vitae principio dependeat? Nam ita haec inter ſe comparantur, & conveniunt, ut in morbis, ſi ſanguine, aliiſque ſuccis pars corporis opprimatur, nunc derivationem, quam veteres ita nuncuparunt, nunc vero humoris

ex ipſa parte male affecta detractionem, pro levamento aegris ferendo accommodatam eſſe iudicemus. Igitur de ſcarificatione, & quidem capite aegris, loco poſt aures inſtituenda, nos iam aliqua conſcribimus; ſed hoc ipſo efficaci remedio, & ferenda miſeris ope, plurimum confidimus, quo magis anatome, & repetiti illius operae ſucceſſus eo nos adduxerunt, ut, quod neque alii ignorant, ſed ſaepe negligunt, lubentiſſime ſuadeamus, iterumque commendemus.

§. II.

In omni parte corporis humani numerus vaſorum mire augetur, cum, nervi, & arteriae, venaeque, e diverſis originibus prodeunt, & mediis poſtea ramis inter ſe communicant, ut, niſi aliis de cauſſis, quas antea nominavimus, vis, & celeritas, qua ſanguis in minoribus viis progreditur, aeſtimari haud poſſit, certe plurimis locis, ob infinitas anaſtomoſes, quaevis comparatio, & aeſtimatio, computum ineuntem maximopere fallat. Igitur, iam nobis ſufficiat: univerſe, vim a corde cum ſanguine acceptam, per ramorum lumina, ſive oſtia, quae ſimul ſumpta, truncorum maximum ambitum ſuperare ſolent, diffundi, & intra arterias paullatim ipſam minui, in ſociis venis autem, ſi-

cut maior earum capacitas, & diverſa ſtructura rem ferunt, colligi, & ad communem fontem redire. Nihilo minus, in quibuſcunque venis tantus ſanguinis calor eiuſdemque reliquus a ſecretione liquorum impetus eſt, ut neque coagulum in venis fiat, neque aliter vitae continuandae arteriarum, venarumque diverſitas obſit. Interim illis organis & partibus, quae crebrius, & fortius moventur, nihilo minus ſtagnationi ſanguinis pluribus de cauſſis favere poſſent, natura maioribus, & luculentioribus vaſorum anaſtomoſibus proſpexit. In capite magno, globoſo, quod per ſe, & cum collo varie, expeditiſſimeque movetur, & vertitur, nos iam commemoramus obvias utrinque venas, quoad eae verſus partem duram pergunt, & partim per ſingulares oſſis aperturas penetrant, mireque in encephalo mutantur. Itaque iugularis externae venae, & quidem prioris, ac poſterioris, deinde utriuſque & internae iugularis, denique huius & poſterioris externae rami cum vertebrali vena communicationes habentur (*a*). Deinde vena frontalis, quae externae iugularis, in facie quidem ſurgentis ſuperior ſoboles eſt, cum temporali vena ſurculis iungitur, quae tempora-

(*a*) IACOB. BENIGN. WINSLOW. Tr. de venis §. 74. ſeqq.

poralis externae iugularis, a latere quidem excurrentis, aliquando autem internae iugularis pars eſt (*a*), ſcilicet, cum haec etiam occipitalem praebet (*b*); & haec ultima aliter a vena vertebrali in aliis oritur, vel potius integra, aut diviſa cum huius ramis coit, quoties eiuſdem venae vertebralis trunci pars magna foramen in collo ſeptimum, vel etiam ſextum, poſteriori loco tranſit, & ſub muſculo complexo occiput petit, & in eo ramis diſtribuitur, ſicut nos olim obſervavimus (*c*).

§. III.

Sunt autem ſupra, & poſt mammillaris proceſſus in oſſe petroſo ſedem nunc ſingula maiora, nunc duo, vel plura, ſed hoc quoque minora foramina, ut aliquando prae parvitate ſenſum viſus fallant, & ſubinde in uno latere foramen deſideretur, in altero reperiatur, ſicut varietatem omnem diligenter annotavit doctrina & ſolertia eminens IOH. BAPT. MORGAGNUS

(*a*) Ibid. §. 98.
(*b*) Ibid. §. 95.
(*c*) Programm. de Vaſis vertebral. edit. A. 1730. & ſupplem. in Actis erudit. A. 1731. Menſ. Mart.

(*a*). Quodſi foramen ſingulum adeſt, tum id aliquando a mammillari oſſe, cum occipitali coeunte fit; quemadmodum oſtendit HENR. SIEGFR. ALBINUS (*b*), & in eodem capite vena occipitalis tranſit, quam pinxit ANTON. MAR. VALSALVA (*c*) aut, quemadmodum nos l. c. obſervavimus, una alteraque vena, quae e vertebrali, vel alia, quae ſecundum WINSLOVIUM (*d*) e iugulari interna, vel externae lateralis temporali ſobole naſcitur, ad foraminis locum tendit, & penetrat, duraeque matris laterali ſinui ſanguinem reddit. Cum vero plura locis ad lambdoideam ſuturam foramina, vel canales habentur, tunc, undecunque occipitis venae originem trahant, totidem nihilo minus diſtinctis locis, & per foramina ſaepe exigua eae ſubeunt, & in tranſitu inter ſe ſubinde communicant, venulaſque oſſi impertiunt; & reliquum ſanguinem ſinui infundunt. At, ubi per aetatem, aliterque hae viae in uno, vel utroque latere obliterantur, & deſunt, tum vena occipitali, vel ſimilibus pluribus minoribus in occipitis latere obviis & inferiore loco confluen-

(*a*) Epiſt. Anat. 4. §. 11. Edition. oper. VALSALVAE, Venet. A. 1740.
(*b*) Lib. de Oſſibus §. *66.*
(*c*) Lib. de Aure humana Tab. 7. fig. 2. lit. F.
(*d*) L. c. §. 95. 98.

tibus venis, augetur alterutra pars venae vertebralis externa; quarum una per foramen, quod poſt occipitis oſſis condylum eſt, canaliculum proprium intrat, qui interno loco ad hiatum, qui inter os occipitis & petroſum relinquitur, patet, &, ad lateralem ſinum ducit: inferior autem, & arteriae vertebrali ſubiecta, praecipue cum vertebrali ſupremo ſinu communicat. Atque praeter ea, quod vertebralis vena ſanguinem in cervice, & ſuperiore pectoris loco, perinde a medulla ſpinali, atque a muſculis anterioribus, & poſterioribus, ſcilicet ſurculis ad ſingula tranſverſorum proceſſuum intervalla advenientibus accipit, ſicut l. c. nos docuimus, etiam ſub capite ſocia eiuſdem vertebralis arteriae una, alteraque pars venae communionem ſanguinis in externo, internoque occipite, ut iam monuimus, ſummo cum mortalium commodo praeſtat, & tuetur. Nam, caput per ſe, & cum cervice, ad omnem celerrimumque motum, atque flexum articulis aptatur, & colligatur, maximeque proficuum cenſetur, ut ſicut aliis de cauſſis in encephalo durae matris ſinus multis modis conveniunt, etiam in collo, qui habentur diverſorum truncorum venoſorum rami congrediantur: quo his illiſque preſſibus, & nixibus, ſanguinem, qui unis locis retinetur, alteris liberius iſti ferant, & perfluere iubeant.

§. IV.

Quem in finem natura arterias vertebrales, & carotides, communicantibus ramis, in encephalo iunxit, & praeterea minores utriuſque generis arteriae ad poſteriores cerebri lobos coeunt, ut aequalitatem in ſanguinis per cerebrum motu hae anaſtomoſes ſervent; quemadmodum egregie docuit Celeberr. HERMANNUS BOERHAAVE (a). Verum, externo loco, etiam arteriae carotidis externae pars poſterior in occipitio ramos ſpargit, qui cum arteriae vertebralis rami ſurculis coaleſcunt, ut ſaepe dubium ſit, an minorem arteriam ad unum, aut ad alterum potius fontem referre fas ſit: & hoc dubium in minoribus, externi quoque occipitis venis ſubinde anatomicis occurrere ſolet. Etiam vertebralis arteriae ramorum, in externo occipite, cum aliis propinquis obvii congreſſus, & factae anaſtomoſes, hac noſtra doctrina advertentur, quam modo proſecuturi ſumus. Nam, de aliis externorum, internorumque vaſorum ſanguinis communionibus, quae ad orbitarum fundos, vel aliis cranii partibus, & aperturis a WINSLO-

(a) Inter alia Comment. ad Inſtitut. §. 235. cum notis doctiſſimis ALBERTI HALLERI edit, A. 1740. Vol. II. p. 368.

VIO, SANTORINO & pluribus ſetectae, vel deſcriptae fuerunt, nos nil modo addimus. Interim, non ſolum cum Cl. HALLERO (*a*) parum internae carotidis ſanguini tribuimus, quoad prae illo, qui in carotide externa fluit, tenuior ex mente BOERHAAVII eſt; ſed etiam iſti (*b*) adſtipulamur dicenti, quod in minoribus ramis, & ſenſum fugientibus, magis praevaleant, quae in ſanguinis globulis ex attractione, imo e gravitate, & levitate fieri arguuntur; ſcilicet, quoad anaſtomoſes qualemcunque rei aeſtimationem haud mutant. Nam, etiamſi in magis obviis, & pulſantibus arteriis, quod ingenioſiſſimus BOERHAAVE de globulis levioribus ad latera, & gravioribus ad axin motis cogitavit, diaſtole ita fieret, certe in ſyſtole verendum, ne aliter res ſe haberet, & globuli denuo confunderentur. Sed, neque internam carotidem ita canali oſſis petroſi accreſcere invenimus, ut, quod laudatus BOERHAAVE (*c*) infert, nunquam magis, aut minus diſtendi poſſit, & eadem ab ipſo oſſeo modulo eius conſervetur diameter. Nam, haec arteria, qua habitum ſatis

P 3

(*a*) Not. ad §. 131. lit. i.
(*b*) Not. i. ad §. 124.
(*c*) Ad §. 231. apud HALLER. p. 343.

tenax, & firma hoc loco nobis viſa, ab aetate tenera, & mollioribus canalis ruderibus, pulſum ſervaſſe videtur; atque praeter ea inter arteriam, & duram matrem, quoad haec canalem obducit, eſt rete nervulorum & arteriolarum, una cum intercoſtali nervo, qui defertur; & haec minorem adſtrictionem arteriae ad canalem poſcunt, quam, ut hinc ipſa vix pulſet, nedum pulſare deſinat. Et, licet ſecus, ac pluribus locis accidit, arteria ibidem hoc flexu longior fiat, & ita, licet modo, qui neque ubivis aequalis eſt, nexu quidem ſingulari contineatur, ut a maiore, morboſoque tumore, ac pulſu ita magis praeſervetur: tamen, proximum naturae inſtitutum vix fuit, adimere hoc loco pulſum, ſed, e loco poſteriore in priorem, aptioremque vas proferre; quo iam elatae arteriae, in ramos quidem plurimos dividendae, illa faveret. Nam, ut ſanguinis motus in carotide fortior eſſet, nec debilitaretur, ideo, inter alia, etiam in iugulo, uſque ad locum, ubi externa carotis ſecedit, communem truncum ramis deſtitui natura voluit. Neque porro alia ſubeſt cauſſa, quam ſubitanea internae carotidis in plurimos ramos ſub cerebro facta diviſio, quare per hos, cum in teneriore meninge ſunt, magis tranſpareat ſanguis, etiamſi muſculoſam tunicam arteria non deponat, ſicut etiam apud

HALLERUM (*a*) addubitatur ; praeſertim , cum arteriae vertebralis , & ſpinalis comparatio , deinde cerebri moles , & variae arteriarum vanarumque encephali conditiones , potius continuatum, & efficacem pulſum carotidum requirere videantur : qui intercipi in canale oſſeo , & deficere dicitur . Quodſi vero diaſtoles arteriarum tempore ſinus cerebri magis impleantur , neque ea parte , qua oſſi annectuntur , ſicut per ſe clarum eſt , & ad ea , quae nos , in re adhuc obſcura , olim coniecimus , recte HALLERUS (*b*) oppoſuit , ſed tantum a nexu illo libera , & laterali quidem parte , hanc alternam , quae cum pulſu arteriarum utcunque comparetur , veluti inundationem , variamque pro diverſa loci diſtantia , v. c. a ſinu longitudinali , motu ſcilicet durae matris , inde deſcreſcente ipſam doceant , & oſtendant ; tum , hunc ita excitatum , non quidem experimento , quod additur (*c*) , ſed clarius ab aliis ſub cranii vulneribus viſum pulſandi modum , ab arteriis non magnis , quas Cl. RUYSCHIUS loco ad ſinum obſervavit , & quae nihilo minus ſubinde cum cranio cohaerent , vix deducere licebit ; praeſertim , cum in nulla alia

P 4

(*a*) L. c. p. 344. not. m.
(*b*) L. c. ad §. 135. p. 357.
(*c*) L. c. ad §. 235. p. 368.

membrana, aut inteſtino, pulſum partis ab eiuſmodi arteriis, liberius quoque poſitis, fieri obſervemus. Sed, vaſorum ſanguiferorum laudatas origines, directiones, & alias conditiones, atque mechaniſmos, a piae quidem matris vaſculoſae finibus remotos, in capite magis opportune, quam neceſſario, pro ſecretione liquoris nervorum haberi coniicimus. Nam, poſt varia, quae pulcherrime laudavit, tandem hoc fatetur Cl. BOERHAAVE (*a*) „ non erit quoque abſurdum credere, quod in toto corpore vas minimum, ex arteria ultimo exortum, evadat ſimillimum fibrillae minimae nervi, quoad magnitudinem, humorem contentum, proprietates reliquas (*b*) ". Neque vero obſtat, quod cerebri medulla venis ſanguiferis deſtituatur, & arteriae ſecundum lineam magis rectam pertranſeant medullam, nec ramoſae eae ſint, nec mollities ullius partis, cum ea, quae in medulla cerebri eſt, comparetur; quandoquidem hae forte omnes conditiones, & praerogativae, promptuario ſpirituum animalium magno, nec in ſede ſua prorſus fixo, quin ubique molli, tribui de-

(*a*) Inſtit. §. 302.

(*b*) Ita IOH. FRID. SCHREIBERUS Elem. phyſiol. lib. II. §. 178. de eodem liquore extra cerebrum ſecreto dicit: hic nutrit, hic ſentit, hic movet.

buerunt. Nihilo minus, ſecundum varia Cl. BOERHAAVII praecepta aliis corporis locis diſcrete fieri poteſt, vel debet, quod in cerebro conſertim fieri obſervatur. Coniectura, ſi nervi illis arteriolarum fibrillis augeantur, & iuventur, inter alia, continuatis mortalium operis, ac magnis laboribus exponendis favet. Cinerea parte, cum aliis Scriptoribus Cl. BOERHAAVE (a) corticem cerebri definivit; & nos medullae partem, praevia maceratione in aqua, non tantum e recens natorum, ſed & adultorum pia matre vaſculoſa, & quidem iniectione anatomica praeparata, ſaepe eluimus; nihilo minus albae, molliſſimae & longiuſculae, ac nudo oculo viſae fibrillae, vel arteriarum ſoboles, partim ultra corticis cinerei ambitum, aliterque, ac in firmioribus glanduloſis contextibus ceteroquin fieri hoc experimento ſolet, explicatae, & exporrectae viſae fuerunt; quin, cum optico vitro conſpicerentur, plures in fine magis ramoſas ſe exhibuerunt, ſubinde coloratam ceram intra ſe continuerunt, neque vero ita ad primas nervorum origines nos experimento perveniſſe, e nervorum liquoris indole, & aliunde ſtabilita eius virtute praeſumpſimus. Igitur obſcurum manet,

(a) Apud HALLER. l. c. p. 373. 374.

quouſque venae (*a*), quae craſſiores ſpiritibus humores revehunt, his arteriolis iungantur, &, hoc nomine, cortex ultra cineream quoque partem pergat.

§. V.

Sinus, & receptacula, quot a Cl. HALLERO (*b*) recenſentur; maximeque latiora, quae ſub loco ſellae equinae, a latere, & poſt eam ſunt, ambitumque irregularem, & aliam formam, quam caeteri ſinus triangulares, curvilinei, vel teretes minores habent (*c*), ea maiorem, quam in aliis corporis ſedibus accidit, perfluenti venoſo ſanguini moram iniicere videntur; & perexigue tria diverticula & eorum emiſſaria cavernoſi utriuſque lateris ſellae equinae ſinus ſubveniunt; quae SANCTORINUS (*d*) adinvenit, & cum orbitalibus & maxillaribus venis communicare oſtendit. At, ſinuum robur, deinde promptus per ſinum ſellae equinae poſteriorem ſanguinis ad vertebralem ſinum, & iu-

(*a*) Praeſertim multiplici ordine procedentes, ſicut ſociae arteriae extremae pinguntur apud IOH. DE GORTER. de Secret. humorum, Tab. adiecta.

(*b*) Not. ad §. Inſtit. 294.

(*c*) L. c. not. d. p. 636.

(*d*) Obſerv. Anat. c. 3. §. 27. ſeqq.

gularem internam fluxus, aliaeque his locis obviae ſinuum coniunctiones, denique venarum iugularium internarum ambitus, quippe plurimum flumini cedens, ſucceſſui ſanguinis, in ſanis hominibus, pro modo ſuo favent, ut etiam validiore nixu, tuſſi, riſu, ſternutatione, ſanguinem, qui inter erubeſcendum quoque aliter accumulatur, ſuſtineant. Nam, etſi magno flumine ex encephalo, & iugularium internarum ſaccis defluat ipſe ſanguis; tamen inter alia, iugularis internae, & externae, tum in capite externo, tum vero ſub eodem obviae communicationes peropportune habentur; ſcilicet, ut glottide clauſa, vel oſtio ſuperioris cavae contracto, ſicut alio loco (*a*) annotavimus, vel etiam utraque de cauſſa, moram ſanguis, qui deſcendit, inter corporis nixus ſine eo patiatur, ut humoris regurgitatio, quantam venarum valvulae fieri permittunt, encephalo noxia, & admodum infenſa ſit.

§. VI.

Itaque laterali utroque ſinu corrivatur encephali ſanguis, libenterque homines, labore feſſi, ſicut expedit, decumbunt, & hac corpo-

(*a*) Differt. de Erubeſcentibus edit. A. 1739.

Digitized by Google

ris quiete, poſituque, ipſum encephalum, pro-moto interni ſanguinis fluxu, levant. Non tantum hac obſervatione conſtat, ſanguinem in ſinibus, quod dicunt, gravitate; ſed etiam illi nixus, quos antea diximus, eundem ſubinde veluti fluctuare probant; ſcilicet, quo magis in encephalo ſanguis, per has vias, tanquam a venarum corporis aliarum tractu, ambituque, & poſitu diverſas fertur. Eadem fluctuatio etiam capitis percuſſione, vel ſubitanea, & magna eius inclinatione, nonnunquam converſione & flexu fieri animadvertitur, ut neque in arteriis, praecipue minoribus, ſanguinis fluxus ab hac perturbatione, ſeu impetu & nixu in directam, adverſamque plagam prorſus immunis manere poſſit. Nam, neque durae matris falcati proceſſus, & eius alio cum cranio nexu omnino cautum eſt, quo minus, repentino capitis motu, & decubitu, cerebri moles in alterutrum latus, vel aliam plagam, quodammodo nitatur, & progreſſui ſanguinis, quacunque illata fluctuationis ſpecie, interim nonnihil, efficiatur. Qui fluctus non tam in aliis partibus, quam in molliſſimo cerebro, & inde delata medullari nervorum ſubſtantia notabilem effectum edunt, & hoc, inter alia, retinae, oculi tunicae conſtat exemplo, cum illi impetus ad huius arterias perveniunt, & obiectorum imagines ſitum mutant;

ut moveri ſentiantur ; unde etiam levior vertigo , vel , cum motus ſpirituum turbulenti animam veluti ſibi nec recte conſtare faciunt , gravior & caduca exoritur , aliaque , interdum funeſta ſymptomata fiunt . Atque , in hoc genere haud leve inter mortales diſcrimen obſervatur . Nam , alii ſingulari de bonitate nervorum , alii ex magis confirmato durae matris nexu , nonnulli ob cordis & vaſorum robur , nec pauci his , pluribuſque ita convenientibus , facile , & ex conſuetudine ferunt , quod alios male afficit , & vexat . Tantum cerebellum , quod magis cortice , quam cerebrum auctum eſt , quieta ſede , & undique munita reſidet , ut , licet ſanguifera eius vaſa cum illis in cerebro obviis communicent ; tamen , in ſanis , vix turbae , quae per externos , & graves motus excitari aliter poſſent , in eo conſequantur.

§. VII.

Quanquam hae venoſae encephali ſanguinis viae validiſſimo oſſe muniantur , & pleraeque humiliori loco ſint , multiſque modis a penetrabili frigore , & iniuriis , quas exernae cauſſae afferunt , mire defendantur , quin tanta porro in locandis curioſe , & calore fovendis , aliterque roborandis , & variae iungendis ſinibus na-

Digitized by Google

turae ſolertia ſit, ut magnis humorum quoque morbis multi obeant, quorum capitis ſinus a ſanguinis coagulo, praeſertim polypoſo liberi inveniuntur: attamen, a pulſantibus arteriis remotae, & anfractuoſae, ſubinde latiores, quam rotundae, & inaequales hae viae, id quoque in morbo admittunt, ut diſtenſio nativam vim ſinuum ſaepe ſuperet, aut moram ſanguis facilius, quam pluribus corporis locis, agat; unde etiam polypoſa coagula in ſinibus aliquando facta eſſe conſtat. His omnibus morboſis ſanguinis, ſinuumque conditionibus, vel aliis gravibus vitiis, non raro lympha in encephali vaſis uberius confluit, quam propriae eius venae ipſam ferunt, ut etiam e turgidis vaſis humor largius exſudet, vel aliter lymphaticis venis vim inferat, effluat, & exitioſa aliquando ſymptomata pariat. Quae quidem brevi, a cauſſis praecipue externis, ſed plerumque longiori tempore ab internis inferuntur; quaſi hae ſubdole agerent, & ad fallendum quoque medicos natae eſſent. Nam, ſanguiferarum viarum, ſinuumque encephali conditio aliquando etiam efficit, ut non tantum a capite fortius moto, ſed etiam ab animi vehementiore affectu, quo per ſe fortius cor pulſat, &, vel glottis, vel ſubclaviae venae oſtium arctantur, cuncta neque ſufficerent, quaecunque in ſanis, & ſub levioribus

cauſſis, ſanguini locum; & fluxum liberiorem concedere ſupra diximus, ſed, potius accidit, ut ſanguis ſuperiores cerebri, vel ventriculorum venas perrumperet, &, inundatione facta, homines ſubitanea, graviſſimaque apoplexia perirent.

§. VIII.

Atque, in locis poſt mammillarem proceſſum, & ſub occipite, venae vertebralis ſanguinem, cum illo, qui per temporalis venae ramos, vel, ſi quae ſeorſim adeſt, per occipitalem fluit, convenire, aut eundem, aliter, & quidem tantum in vena occipitali motum, cum ſinu laterali propius, quam interveniente vertebrali vena, ſcilicet, ubi os perforatur, communicare, hoc ſupra diximus. Iam vero, ſi ſanguis, illo oſſis loco, ſcarificatione & cucurbitulis admotis detrahatur, tum ipſius motum, in ſedibus poſt aurem, verſus inciſionum loca augeri; ſed, & internum, qui in propinquis ſinibus, praecipue lateralibus eſt, eo quodammodo niti, & divertí, ſanguinemque craſſum ita in pluribus capite aegris utrinque diffluere, & tendentem per vertebralem & iugularem venam in ſuo progreſſu iuvari, nonnunquam craſſioris facti partem extrahi, confidimus. Quod, toti ſubinde cere-

bro, cum a ſanguine premitur, eo magis ſuccurrere debet, quo minor ſinuum numerus, quam in aliis locis venoſorum ramorum & anaſtomoſium multitudo eſt; praeſertim, cum cerebri ſinus neque iuxta pulſantes, ſociaſque arterias hac parte repant, & confluant, truncoſque parent, ut ſaepius hac etiam de cauſſa ſanguis in encephali morbis lente procedat, vel ſtagnet, aut ipſe ſinuum robur debilitet; hinc vario modo eius in iugularis internae ſaccum, ſcilicet, per viam, inſitionemque obliquam retardetur ingreſſus, vel prohibeatur. Haec ita de venis, ſcarificatione hac parte inciſis, cogitavimus. At, vertebralis quoque arteria (*a*) cum occipitalibus arterioſis ramis, & occipitales cum temporalibus conſpirant (*b*). Igitur ſcarificatione ex inciſis arteriolis effluit ſanguis, & in morbis capitis arteriarum tumor, & fortior pulſus, quantum hac chirurgia fieri poterit, perinde minuitur, ac ſanguis ad ſtaſin propenſus, ſicut de venis diximus, liberius movetur. Ex omnibus inter ſe comparatis, & ex communione vaſorum poſte-

(*a*) Programm. citat. p. 8. l. III. ſeqq. a nobis deſcripto ramo.

(*b*) WINSLOW Tr. de Arteriis §. *69. 70. 94. 97.* & convenit arteria cervicalis huic dicta cum colli & ſcapulae communi. Progr. cit. p. 11.

poſteriorum , lateralium , & priorum , quales antea commemoravimus, & pluribus relatae apud WINSLOVIUM leguntur , patet : ſcarificationem , quam laudamus , ſaepenumero notabilem uſum in capitis morbis ferre.

§. IX.

Tantum e ſanguine , qui in externo , & interno occipite confluit , maioreque ponderatione nititur , deinde e propinquitate loci ad laterales ſinus , qui ſcarificatione inciditur , & unde ſanguis extrahitur , denique ex omni communione capitis arteriarum , venarumque ac ſinuum colligitur . Erunt , qui hoc auxilii genus pro exiguo , & levi habebunt , quod eadem , quas celebravimus , anaſtomoſes , in utroque vaſorum genere , & lege communi , ſanguinis uncias circiter quatuor , quae ſcarificatione poſt aures facta , cucurbitiſque cum flamma adhibitis , extrahuntur , reſtituant , & res omnis parti morboſae , fere ſicut toti corpori , in emolumentum haud ita notabile cedat . Neque tamen diffiteri poſſumus : omne auxilium , quod a quavis miſſione ſanguinis ſperatur , mutuis quibuſcunque ſanguiferorum ramorum , tum maiorum , tum vero minorum communicationibus diminui ; ſed hoc quoque temperamento opus eſſe , nec ſin-

Digitized by Google

gulas ſaepe partes male affectas, nec haerentem morbi cauſſam mutationem in motu ſanguinis maiorem ferre, praecipitemque fluxum, qui ipſi quoque motus virtuti a corde acceptae infenſus eſſet, ſic arceri, contendimus; ubi moderatam ſanguinis detractionem cum omnibus artis peritis, ad minuendam, & diſſipandam morbi cauſſam, crebrius conducere, obſervamus. Maius in re moderamen anaſtomoſes praeſtant, quo notabiliores eae ſunt, &, quo minus a primis truncis, vel ipſo corde diſtant venae, quae inciduntur. Igitur fructus, qui externae iugularis ſectione in morbis provenit, & a IO. FREINDIO (*a*) fuſius laudatur, praeſertim eo tempore magnus eſſe ſolet, cum cauſſa morbi in capitis ampliore parte diffunditur, nihilo minus, ob internae, externaeque iugularis ramorum anaſtomoſes, quae in iugulo, ad linguae radicem, & fauces, pluribusque locis obviae, & conſpicuae ſunt, aut etiam ob notabiles alias, quae a iugularium minoribus ramis, qui ab utraque capitis globoſi parte excurrunt, tandem fiunt, idem fructus certe haud maior erit, quam qui a ſanguine ita variis convenientibus viribus profluente exſpectari poteſt. Fere, ſicut topica, for-

(*a*) Comment. 2. de Febribus in oper. edit. Pariſ. d. A. 1735. p. 8. ſeqq.

Digitized by Google

tiſſima quoque remedia, aliquando humores noxios vix diſpellunt, ſed magis figunt, contra vero mitiora, &, quae ſaepius adhibentur, ſpem Medicorum rarius fallunt; ita, morborum cauſſae non deerunt, quae evacuationem ſanguinis e vena iugulari externa reſpuent, ſed illam, quae poſt ſcarificationem, poſitis cucurbitulis fit, potius admittent; praeſertim, cum loci opportunitas accedat, qualem antea verbis declaravimus.

§. X.

Cucurbitulas, magis vel minus ventricoſas quae maiores vel minores circulos, cute quidem elata exhibent, admoveri, deinde ſcalpello loca ſubinde altius incidi, ceterum vix circulum gladiolis recurvis, in ſummo non valde acutis, pertundi iubet HIPPOCRATES (*a*). Haec is commendat ad ῥεύματα, atque dolores; & alio loco (*b*), ſine eo, ut cutis pertundatur, cucurbitam quam maximam ad coxam affigendam praecipit (*c*). AVICENNA ventoſas, ſine, &

(*a*) Lib. de Medico, operum edition. ANUT. FOESII p. 20. 21.

(*b*) Lib. II. de morbis mulier. edit. cit. p. 656.

(*c*) Lib. de locis p. 413. cucurbitae ſine praevia ſca-

cum ſcarificatione, ſed hac profundiore adhibendas diſtinxit, & utramque docet (*a*): praeter ea autem ſcalpellationem, quae cum ſcarificatione profunda convenit, in cura gangraenae, quae ad putredinem vergit, haud negligendam eſſe monet (*b*). Igitur, ſecundum illum HIPPOCRATIS locum, veteres Graeci non ſemper altius, quam noſtri Chirurgi faciunt, cutem ſcarificatione inciderunt, nec, ſecundum AVICENNAE dicta, Arabes ſcarificationis, & quidem ſine cucurbitis adminiſtrandae uſum ignorarunt; ſicut paulo abſolutius arguit IOH. FREINDIUS (*c*). Erant autem cucurbitulae aeneae; & in harum ſingulam linamentum ardens iniiciebatur, ac ſi os eius corpori aptabatur, & imprimebatur, donec inhaereret (*d*).

---

rificatione ad aurem oppoſitam admoventur, & dolori medentur.

(*a*) Inter alia Lib. I. Fen. 4. Doctr. 5. Edit. oper. Venet. A. 1564. p. 217.

(*b*) Lib. IV. Fen. 3. Tract. 1. c. 16. Tom. II. Oper. p. 114.

(*c*) Hiſtor. Medic. Oper citat. p. 145.

(*d*) Quod linamentum ardens in ſumma cucurbitula uncis, vel aliter ſuſpendebant, cauteque hanc admovebant, ne illud ſtatim extingueretur, vel etiam cutem adureret. ARETAEI de Curat. acutor. morb. c. 10. de pleuritide, Edit. Oper. Oxon. A. 1723. p. 103. haec verba ſunt: Ἔστω τὶ καὶ ἡ ὑπὸ τῇ σικύῃ φλὸξ πολλὴ, ὡς μὴ μοῦνον ἑλκύσαι, ἀλλὰ καὶ ἀλεῆναι πρὶ τῆς ἀποσβέσιος τῷ

„ Etiam corneae , vel ex alia materia factae adhibebantur , & altera parte , ſicut aenae patebant , altera vero foramen exiguum habebant , quo , cum ſingula impoſita eſſet , ore ſpiritus adducebatur , & cera foramen claudebatur , & ita aeque inhaeſit . Ubi vero haec , illaque cucurbitula inhaeſerit , ſi conciſa ante ſcalpello cutis eſt , ſanguinem extrahit : ſi integra eſt , ſpiritum ; ſicut haec refert A. CORN. CELSUS (*a*) " ; & cum ſuctione quodammodo convenit extractio ſanguinis , quae fit adhibitis campanula , & ſiphone (*b*) . Priſci etiam venas , ut ſanguis proflueret , uſtione cum lino crudo accenſo aperuerunt . „ Ita HIPPOCRATES (*c*) in capitis dolore , inquit , ſanguinem ex venis detrahito , quod ſi non ceſſet , ſed diuturnus ſit , venas inurito , & convaleſcit " . Quare is etiam arterias , quae inter aurem & tempora ſitae ſunt (*d*) vult aduri , cum internus oculi humor cruore miſcetur ; ſed modum , quo imminens a ni-

πυρὸς. Καὶ μετὰ τὴν ἀπόσβεσιν, ἀποσχάσαντα ἀφαιρέειν αἷμα, ὁκόσον ἂν ἡ δύναμις παρέῃ.

(*a*) De re medic. L. II. c. 11.

(*b*) Hoc apparatu Angli crebrius utuntur.

(*c*) Deſcribitur haec uſtio Lib. de locis p. 420. Venas in dolore artuum uſtas inter alia vid. Lib. de Affection. p. 524.

(*d*) L. c. p. 414. & Lib. de morbis p. 465.

mio ſanguinis fluxu periculum averti debet, ille loco praecedente iam docuerat (*a*). Eſt autem in hac veterum cum lino crudo, accenſoque facta arteriarum vel venarum aduſtione, ſcilicet, cum non penitus peruſtae fuerunt, imo etiam his, illiſque locis, in venarum, maximeque in occipitio deliteſcentium exploratione, & delectu (*b*), quod noſtri Chirurgi vix imitari, nec Anatomici in vivis ſemper monſtrare poſſunt, &, quod veterum aut peritiae, aut traditioni relinquitur.

§. XI.

Si itaque in adulto, circiter trium digitorum tranſverſorum intervallo a meatu auditorio, ad angulum rectum ſuperior ſumatur locus, qui ab ipſo angulo menſura pollicis diſtet, habebitur centrum circuli, & tumoris, qui in cute, admota cucurbitula, & calore flammae prodit.

(*a*) Ad veterum ſcarificationem, aeque, ac venarum, quin oſſium aduſtionem ſpectant, quae CELSUS Lib. VII. c. 7. ad pituitam oculorum affert, & partim praecipit.

(*b*) SORANUS EPHESIUS Iſagoge in art. med. c. 21. Aldina Scriptorum collectione Venet. A. 1547. p. 163. haec tradit: In occipitio propter querelas capitis incidimus uſque ad os menſura quatuor digitorum &c.

Atque, ſi circuli diameter fere pollicis menſurae fuerit (*a*), tum ſubiicietur pars oſſis occipitis, plerumque minor etiam mammillaris, & bregmatis, ubi haec oſſa ad ſuturae lambdoideae inferiorem locum conveniunt. Hoc ambitu, arteriae, venaeque, pluribus lanceolis, ſcilicet, relaxata machina, hoc tempore uſitata, vulnerantur, quae cum viis ſanguiferis externis, interniſque communicant; quemadmodum rem ſupra expoſuimus. Conſultum vero erit, initio tumorem cutis flamma lampadis iterum, ac ſaepius veluti refecta cucurbitula, quam fieri poteſt, augere, ut hoc quoque altius lanceolae penetrent, neque tam in os impingant, quod ſubinde aliqua, & quidem laterali parte occipitalis muſculus hoc loco ſitus ſit. Nihilo minus Chirurgos, licet admoniti eſſent, ſubinde aciebus in os impegiſſe novimus, unde praeter aliquem dolorem, non gravius ortum eſt malum. Ita vero utroque latere, & inciſione facta, ſanguis haud uno in omnibus modo prodit, & elicitur, neque, ſicut e vena aliter ſecta, multas ſanguinis uncias extrahere licet. Nam, vulnuſcula cutanea plerumque facile ſubſidunt, ut etiam cu-

(*a*) Maiores circulos alia corporis loca poſtulant; quemadmodum ARETAEUS etiam l. c. docet.

Digitized by Google

curbitulae ſub finem fruſtra renoventur, & applicentur. Erit autem, pro modo fluentis ſanguinis penes Medicum decernere, an cum aegro, & morbo conveniat, ſi plures quam tres quatuorve cruoris uncias detrahi iuſſerit? Siquidem totidem in pluribus exemplis eduxiſſe ſufficiet. Itaque, ſi maiorem copiam evocare volueris, vel aliter, ubi ob craſſitiem ſanguinis id ita agere opus erit, initio, vel poſtea iteratur vulneratio, & alia vulnuſcula, in eodem circulo per decuſſim fiunt. Tandem, ſi paullo maius vas unum, alterumque ſanguiferum vulneretur, quod cum cute & celluloſo contextu intra tumorem ſurgit, tum multo minus hac repetita vulneratione opus erit. Neque vero res ita facile conſultorem fallet, quam, ſi iuxta ſagittalem ſuturam, & circum ſubiecti verticis oſſis foramen cutis incidatur, ubi venula utrinque ad interiora tranſit; quamvis hanc partem, vel etiam fontanellae locum Medici ſaepius delegerint.

§. XII.

Non iam multis cucurbitarum, ſine praevia ſcarificatione partibus admotarum uſum tradimus, quod omnes Medicinae Scriptores in multis capitis, & articulorum, pluriumque par-

tium morbis eum magnopere laudent, & approbent. Nam, calorem flammae cum illae ſuſcipiunt, & cuti imponuntur, tum, prae raritate aeris, alius & interior, qui in cutaneis vaſis, ſed multo magis ille, qui in celluloſa, pinguique corporis tunica eſt, expanditur, habitumque levat, ac ſanguiferis praecipue vaſis, quae extenduntur, & utcunque ſequuntur, poſitum, ſed ipſi ſanguini viam liberiorem, tranſitumque parat, ut notabiliora quoque vaſa, quae ſubiiciuntur, hoc de allevamento participent, maioremque ſanguinis copiam omnia, quae laxantur vaſa, admittant; denique craſſum humorem, atque fere haerentem, ita diffluere iubeant. Igitur etiam uſu venit, ſaepeque opportunum eſt, adhaerentes cucurbitas per longiores tractus in ambitu partium, quae dolent, deducere & ita ſanguinem in magna corporis parte, veluti ventilare, & quaſſare. Quem quidem effectum in ſingulo loco anaſtomoſes vaſorum temperare, & ad ſanguinem, ipſumque cor, licet obſcuriore modo referre, iterum arguimus: experientia vero docuit, cucurbitis ita applicatis univerſum ſanguinis fluxum promoveri, & in parte oppreſſa, atque dolente, mutationes inde fieri, quae in aegrorum emolumentum cedunt. Itaque, hoc quoque commodum cucurbitis, quae ſine inciſione cutis poſt au-

Digitized by Google

rem, vel in nucha, & capitis locis ponuntur, ſperare licet, ſed, nos Diſſertationis argumenti occaſione, in pluribus gravioribus, vel diuturnis morbis illum cucurbitarum uſum, ubi, ſcarificatione cutis in occipitio facta, ſimul ſanguis extrahitur, multis praeferimus modis, iterumque commendamus. Parum ad nos attinet, quod alii de revulſione, & derivatione diſputaverunt. Enim vero plurima morborum exempla ita comparantur, ut, ſi ſanguis detrahendus ſit, vel ubi tantum cucurbitae pro ſanguine commovendo, aut frictiones, & alia ſuadeantur, uno vel altero modo remedium, haerentem in ſingula parte morbi cauſſam, eandemque pertinacem mutet, quin in nonnullis morbis haec facta e loco proximo ſanguinis detractio morbum citius lenire, vel cauſſam diſſipare ſoleat, quam quidem accidit, ſi remotior ſedes incidatur: quemadmodum ea, quae ſequuntur, rem porro probabunt.

§. XIII.

Et, cum de capitis morbis praecipue agamus, nonnullis probatorum auctorum conſiliis, & obſervationibus rem confirmare nobis liceat. Anginae graviorem morbum hocce remedio HIP-

Digitized by Google

POCRATES (*a*) curavit: „Πρῶτον μὲν σικύας „ προσβάλλειν πρὸς τὸν σπόνδυλον τὸν ἐν τῷ τραχήλῳ, „ τὸν πρῶτον. ἔπειτα παραξυρήσας ἐν τῇ κεφαλῇ καὶ „ παρὰ τὸ οὖς τιθέναι ἔνθεν καὶ ἔνθεν. καὶ ἐπὴν ἀπο- „ σφίγξῃς τὴν σικύην ἐᾶν προσκέεσθαι ὡς πλεῖστον χρόνον„. ORIBASIUS in cura vertiginis (*b*), ut morbus profligetur, etiamſi conquieverit, venam ſecandam, purgandum ex hiera, & clyſtere acri e centuarii vel colocynthidis decocto utendum, deinde caput ipſum ad occipitium ſcalpello convulnerandum, & cucurbitulas cum ſcarificatione adhibendas eſſe, iubet. Nam, ipſe (*c*) venae ſectionem in maximis, periculoſiſſimiſque affectibus, & maiori plethora, cum ſanguinis affatim effundi debet, ſcarificationi univerſe praetulit. Propius ab occipite ſcarificationis locus abeſt, quem CELSUS (*d*) indicat, cum muſculi, prae rigore nervorum, caput ſcapulis, modo mentum pectori annectunt, vel recta, & immota cervix eſt, nec ſine vehementiore do-

(*a*) Lib. II. de Morbis p. 469. Quod ſi loquendi formula ἐπὴν ἀποσφίγξῃς non idem praecipi videatur, ac ſi dixiſſet: ἀποσχάσῃς, addatur detractio ſanguinis ex occipitio, cum in eodem faucium morbo cucurbitulae adhibentur, Lib. de Affection. pag. 517.

(*b*) Synopſ. Lib. VIII. c. 5. Collect. Med. artis princ. HENR. STEPHANI p. 121.

(*c*) Collectan. Lib. VII. c. 19. p. 316.

(*d*) Lib. IV. c. 6. de cervicis morbis.

lore haec ita fiunt ; tum ille cervicibus cucurbitulas vult admoveri , ſic , ut cutis incidatur. Doctiſſimus MORGAGNUS (a) affert , quae rem quodammodo explicant , & ſequuntur : „ Iuxta lambdoidis ergo ſuturae additamenta ad poſteriorem proceſſus mammillaris regionem poſitum eſt , in ſinum penetrans temporis oſſi poſt auditorium tympanum inſculptum foramen ; illuc a primo , ſecundoque craſſioris membranae finibus ſurculi quidam pertranſeunt , ad cutis circumſtantiumque exteriorum partium nutritionem . Patet autem hinc , quantum in cerebri affectibus calidis ſanguinem poſt aures mittere conferat " . Sed idem meritiſſimus MORGAGNUS (b) deſperatae apoplexiae , cucurbitula bis in occipite profunde ſcarificata , curatae exemplum adducit . Quae vero ipſe hac de re praemiſit , ea hoc loco repetere fas eſt . „ Ut enim eae venae hinc in occipite chirurgicis inſtrumentis expoſitae ſunt , inde vero intra cranium cum laterali utroque ſinu communicant ; ita opportunitatem praebent , ut ipſas incidendo , atque ideo ſanguinem , quem in ſinus convecturae eſſent , avertendo , reliqui ſanguinis

(a) L. c. e PHIL. INGRASSIAE in GALEN. de oſſibus c. 1. Comment. 8.
(b) Adverſar. Anat. 6. Animadverſ. 83. e ZACUTI LUSITANI Medic. princip. Hiſt. L. I. 35.

Digitized by Google

per eoſdem ſinus fluentis copiam quidem nonnihil minuere, motum vero augere pro re nata immediate poſſumus. Quae duo ut in multis cerebri affectionibus ſunt admodum neceſſaria; ita illud per admotas cucurbitulas, & crebras, altaſque inciſiones eo certius praeſtatur, quod earum venarum truncos, & profunde ſemper locatos, & nonnunquam, ut eorum per cranium meatus, in plures, atque ideo minores diviſos invenimus. Et his quidem rebus ita per anatomen illuſtratis, cum proclive nobis fuit iſto praeſidii genere magnam opem ferre olim contumaci quadam, ac perdifficili ſoporoſa affectione M. ANTONIO CIÇOGNINO &c. ".

§. XIV.

Sanguinis & lymphae morbos inter ſe Medici diſtinguunt, etiamſi hic humor ab altero proveniat, nec ratio diſtinctionis ultro, pateat, & innoteſcat. Attamen, arterias exiles, poſtquam purpureum laticem venis reddiderunt, deinde continuari, & ſerum, aut lympham ferre videntur, donec in proprias venas deſinunt, quibus haec recipiantur. Igitur arteriarum, venarumque ſeroſarum & lymphaticarum magna, tantaque erit copia, ut cum ductu thoracico, & aliis vaſorum lymphaticorum truncis, quos

lore haec ita fiunt; tum ille cervicibus cucurbitulas vult admoveri, ſic, ut cutis incidatur. Doctiſſimus MORGAGNUS (a) affert, quae rem quodammodo explicant, & ſequuntur: „ Iuxta lambdoidis ergo ſuturae additamenta ad poſteriorem proceſſus mammillaris regionem poſitum eſt, in ſinum penetrans temporis oſſi poſt auditorium tympanum inſculptum foramen; illuc a primo, ſecundoque craſſioris membranae finibus ſurculi quidam pertranſeunt, ad cutis circumſtantiumque exteriorum partium nutritionem. Patet autem hinc, quantum in cerebri affectibus calidis ſanguinem poſt aures mittere conferat. “ Sed idem meritiſſimus MORGAGNUS (b) deſperatae apoplexiae, cucurbitula bis in occipite profunde ſcarificata, curatae exemplum adducit. Quae vero ipſe hac de re praemiſit, ea hoc loco repetere fas eſt. „ Ut enim eae venae hinc in occipite chirurgicis inſtrumentis expoſitae ſunt, inde vero intra cranium cum laterali utroque ſinu communicant; ita opportunitatem praebent, ut ipſas incidendo, atque ideo ſanguinem, quem in ſinus convecturae eſſent, avertendo, reliqui ſanguinis

(a) L. c. e PHIL. INGRASSIAE in GALEN. de oſſibus c. 1. Comment. 8.

(b) Adverſar. Anat. 6. Animadverſ. 83. e ZACUTI LUSITANI Medic. princip. Hiſt. L. I. 35.

per eoſdem ſinus fluentis copiam quidem nonnihil minuere, motum vero augere pro re nata immediate poſſumus. Quae duo ut in multis cerebri affectionibus ſunt admodum neceſſaria; ita illud per admotas cucurbitulas, & crebras, altaſque inciſiones eo certius praeſtatur, quod earum venarum truncos, & profunde ſemper locatos, & nonnunquam, ut eorum per cranium meatus, in plures, atque ideo minores diviſos invenimus. Et his quidem rebus ita per anatomen illuſtratis, cum proclive nobis fuit iſto praeſidii genere magnam opem ferre, olim contumaci quadam, ac perdifficili ſoporoſa affectione M. ANTONIO CIÇOGNINO &c. ".

§. XIV.

Sanguinis & lymphae morbos inter ſe Medici diſtinguunt, etiamſi hic humor ab altero proveniat, nec ratio diſtinctionis ultro, pateat, & innoteſcat. Attamen, arterias exiles, poſtquam purpureum laticem venis reddiderunt, deinde continuari, & ſerum, aut lympham ferre videntur, donec in proprias venas deſinunt, quibus haec recipiantur. Igitur arteriarum, venarumque ſeroſarum & lymphaticarum magna, tantaque erit copia, ut cum ductu thoracico, & aliis vaſorum lymphaticorum truncis, quos

Digitized by Google

anatomici viderunt, haud facile comparentur; nihilo minus probabili coniectura aſſequimur, quod fortaſſis plurimae ſeroſae & lymphaticae venae humorum venis ſanguiferis infundant, antequam iſtae truncos parant, qui inter anatomica exercitia reteguntur. Nil enimvero vetat, quo minus haec utriuſque humoris permiſtio in vaſis minoribus, & quidem eundem in modum fiat, ſicut in vena portae, ſubclaviis, & iugularibus venis, lymphaticas venas infundere humorem anatomici obſervarunt. Atque, ſanguis, ſerum, & lympha, in arteriis fere minimis, prompte ſeparantur, & ultimus uterque humor ſingulari nixu, velúti attraheretur, proprias arterias, & venas ſubit; praeſertim, cum ſanguinis globulos, in maiori, quam minori a corde diſtantia, aquoſior pars facilius deſerat, & per vias aptiores fluat. Proinde accidit, ut morborum cauſſa, & quidem crebrius in arteriis lymphaticis haereat, & noceat; etiamſi, ubi cum ſanguine ea circumfertur, notabile detrimentum haud afferat. Nam, quod morboſum eſt, aliquando globulis purpureis & ſeroſis continetur, ac longiori tempore graviora ſanguinis vitia parit, nonnunquam vero utrumque humorem, lymphamque tandem inquinat; & corrumpit. Quae modo retulimus, ſi cum lymphaticarum viarum teneritate, & cum debiliore humo-

ris per eas motu comparentur, facile ſuadebunt: alia ſaepe auxilia & remedia ſanguinis, quam lymphae morbis, iureque opponi, &, quod motum, & craſin ſanguinis evidenti quoque modo mutat, hoc in lymphae vitiis ſubinde vel obſcuriore, vel nullo modo convenire, & ſuccurrere. Igitur ſcarificatione tot generum vaſa inciduntur, & ex omnibus humor, admotis cucurbitulis, elicitur; nihilo minus ſanguini maiorem inde vim, quam lymphae inferri, haud dubitamus, ut maiorem effectum in ſanguinis, quam lymphae vitiis hinc polliceamur. Sigillatim, in encephalo, quo minor eſt lymphaticorum vaſorum numerus, hoc maius auxilium facta ſanguinis e loco occipitis detractio, etiam in ſanguineis vulgo dictis partis ipſius morbis feret.

§. XV.

Eo cum moderamine illae veterum atque recentiorum obſervationes de utilitate, quam ſcarificatio in occipitio praeſtitit, accipi debent; quin in ambigua morbi cauſſa, ubi omnia, ut fieri poteſt, ponderantur, neque lymphae & ſanguinis morbus in clinica praxi, ſicut plerumque fieri in cathedra confidentius ſolet, ſatis diſtinguuntur, tum neque hoc remedium ſuadere ſupervacuum erit. Attamen, ſi manifeſta prae-

valent ſigna, quae ſeroſam colluviem produnt, & collectionem lymphae in encephalo ſuſpicari iubent, tum, inter alia veſicatoria maiorem uſum praeſtant; ſin vertici raſo, vel nuchae loco applicentur. Nam, pluribus medentium obſervationibus, & ſuperadditis phyſiologorum conie&uris, quam quidem anatomicorum demonſtrationibus, probatur: lympham, hac, vel alia ipſius evacuatione facta, ad locum, qui irritatur, largius derivari, & aliam extra vaſa fuſam, abſorberi, veniſque ſecus recipi, atque de ſanguine unquam hoc licet experiri. Itaque, ad avertendum ſanguineos, quos vocant, imminentes ſoporoſos affectus, perinde, atque ad praeſentes curandos, ſcilicet, quoad medelae conceditur locus, ſecundum ea, quae ſupra diximus, per quam utilis & accommodata, occipitii ſcarificatio, & ſaepius in capitis morbis repetenda erit. Quae ita vertigini etiam medebitur, niſi collectum in encephalo ſerum, aut aliter antiquum omne malum fuerit. Igitur in caro, & comatoſis febribus, ſin vires, & alia rem permiſerint, etiamſi vena ante ſecta fuerit, ſanguis ſcarificatione, & cucurbitulis, cum aegri emolumento ex occipitio eruitur. Attamen hypochondriacis, & melancholicis, ob diverſam morbi originem, non eodem cum eventu ſanguinem ita educi experti ſumus. Exiguum vel nullum levamen

vamen inde maniaci ſentiunt, etiamſi in paraphrenitide, & phrenitide uſum ſaepe notabilem ferat. Cuius Chirurgiae futura utilitas e crebriore ſanguinis congeſtione, magno, fortique pulſu, porro e manente, poſt venam quoque ſectam, capitis ſingulari aeſtu, & venarum externarum tumore, internarum vero oppreſſione, & huius ſignis proſpicitur, & diiudicatur. Nam, ſub his conditionibus, ſanguis etiam cum aegrotorum commodo in convulſivis & ſoporoſis morbis, ipſaque epilepſia, ex occipitio detrahitur.

§. XVI.

Non tantum encephali morbis hoc auxilii genus ita opponitur; ſed etiam externis capitis doloribus idem mederi, plura ex illis probant, quae nos e veteribus Scriptoribus ſupra adduximus. Nam, in angina id cum fructu adhiberi HIPPOCRATES docuit, & in pertinaci ophthalmia, tanquam plurium, graviorumque oculi morborum cauſſa, aut ſaltem peſſimo eorum comite, etiam repetita occipitii ſcarificatio plurimum opitulatur; ſiquidem per ea, quae ſupra oſtendimus, haec ſcarificatio ſanguinis motum aeque in externis, ac internis locis iuvat. Quam ob rem in obſtinata cephalalgia, cum & externae, & internae capitis membranae,

in ſingulari exemplo, ante aliquod tempus dolerent, illa praeſentaneam opem, auxiliumque attulit; cum plurima quoque topica, & interna remedia incaſſum ante adhibita eſſent. Foemina habitus ſucculenti, ad cachecticum accedentis, quinquaginta duos annos nata, nunquam pepererat, & cum menſes dudum fluere deſiiſſent, ſpaſmis hyſtericis, imi ventris inflationibus, & ſtomachi dolore, eiuſque viſceris pluribus morbis, cum pertinaci & vehemente cephalalgia prehenditur, &, qua victum potumque, quoad nulli legi obtemperabat, peſſime ſe habebat; poſtea, cum ſibi temperaret, & aquas minerales Carolinas biberet, tandem vero haemorrhoides quoque fluerent, convaluit, etiamſi leviores recidivas ſubinde pateretur. Poſt tertium annum, cum haemorrhoides deficerent, ſicut antea, in eundem ſaeviorem morbum incidit: hinc rhabarbaro, ſale cathartico, atque frequentioribus clyſteribus, ſubinde cum nullo levamine ſubducitur alvus, vena in pede aperitur, & Medicus primarum viarum tonum amaris, & carminativis, vulgo notis medicamentis, corroborare, ſimul cinnabari, caſtoreoque datis, obſiſtere ſpaſmis per plures ſeptimanas annitebatur. Nihilo minus ea aſſidue vomit, caput die, nocteque, intolerabili dolore affligitur, &, cum noſtrum conſilium peteret, in unius, mox in

alterius, vel utriuſque bregmatis oſſis loco, tumores cutis, ambitu pollicis diametri oriebantur, parum rubentes, ſed graviſſime dolentes, qui poſt aliquot dies nihilo minus ſubſidebant. Igitur, cum illa potiſſimum de capitis dolore, eodemque quavis tuſſi, vomitu, & capitis motu ad tremorem, ſpaſmos, & delirium aucto; conquereretur, raſo utrinque capillo, in occipitis loco, quem ſupra indicavimus, ſcarificatione facta, & cucurbitulis admotis, uncias ſanguinis quinque evocari iubemus, & cum lanceolarum acies altius penetrarent, nonnihil aegra convellitur, mox inter educendum ſanguinem, veluti pondere, quod caput oneraſſet, ſe levari ſentit, ac dolor, opere finito, obtunditur, & eodem die plane ſedatur; ut altero die tumores, qui in capite obvii erant, diſparerent, neque recurrerent, & aegra, cui haemorrhoides poſt aliquot menſes denuo fluxerunt, e cephalalgia, quin ſtomachi morbis, qui paullo ante ob noctes inſomnes, & alia manebant, immunis, & incolumis eſſet. Quodſi plura de malo ſympathico, aliis remediis curando, deinde de haemorrhoidum fluxu aliter promovendo, nobis obieciſſemus, & haec a capiendo conſilio nos detinuiſſent, ſub medicamentorum quoque probatorum uſu, & quidem brevi morbum fatali epilepſia finitum fuiſſe, confidimus.

Quanquam vero pluribus exemplis, quibus cephalaeae, & varii capitis morbi, vel ſaltem lenti, vel prorſus ſanati fuerunt, ſpem noſtram id auxilii genus haud fefellerit: tamen, quod hoc loco retulimus, adducendum putavimus, ut ſimul probetur, in capitis doloribus ſympathicis membranas, & vaſa, ad ſuſcipiendam morbi cauſſam diſponi, & hinc pertinaciores factos, tandem ſicut idiopathicos velle curari; ſed hanc obſervationem etiam ad plura morborum curandorum genera pertinere arbitramur.

GOTTLIEB ALBRECHT GOTTEL

POMERANI

DISSERTATIO

DE

FEBRIS LENTAE

NERVOSAE NATURA.

Halae Magdeburg. 1781 (*).

Febrem lentam nervoſam febrem eſſe continuam acutam, quae, licet mitis appareat, genus tamen nervoſum magnopere conturbet, & ipſum morbi famoſi nomen docet, & unanimis

(*) Qui egregiam DEMIANI Diſſertationem, *de febre lenta nervoſa, rheumatiſmo & hydrope*, ab Ill. BALDINGERO (Sylloge Select. Opuſcul. Argum. Med. Pract. Vol. IV.) communicatam, cum praeſente combinaverit, ille ſat rectam huius morbi graviſſimi ideam ſibi formaturus eſt: quod eo magis mihi deſiderabile videbatur, quod in *Italia* maior adhuc librorum Anglorum, quibus ille potiſſimum illuſtratur, defectus obſervetur.

eorum, qui de eo litteris quidquam mandarunt; conſenſus probat. Enim vero quae ſint iſtae turbae, quibus cerebrum nervoſque afficit, quoque igitur modo a ſimilis farinae febribus differat? de eo nondum ſatis inter Medicos conſtare videtur. Quare operae pretium me facturum putavi, ſi de hac materie publice diſputarem. Equidem febrem lentam nervoſam nihil eſſe aliud iudico, quam propriam phrenitidis ſpeciem, eius maxime, quae cum virium languore & delirio miti obſcurove coniuncta eſt, quamque ideo, ut videtur, GALENUS phrenitidem *hecticam* vocavit. Quam ſententiam, ut pro virium tenuitate probarem: ſymptomata primum febris lentae nervoſae, in ordinem redacta, expoſui; deinde eam, praemiſſis nonnullis ad ſolutionem & cauſſas eius harumque ſedem pertinentibus, cum phrenitide vera comparavi; nihil iam magis in votis habens, quam ut haec mea conamina non omnino Viris doctis diſpliceant.

§. I.

I. Febris eiuſque phaenomena.

In principio morbi febris plerumque aut nulla, aut levis & erratica comparet (*a*). Non-

(*a*) In epidemia a WILLISIO deſcripta (*de morb.*

nunquam, progrediente etiam morbo, febris haud manifeſte erumpit (*a*); utplurimum autem, ſerius ocyus, vehementius exardeſcit (*b*), ita tamen, ut ſibi relicta omnique ſtatu aut inflammatorio (*c*), aut alio ſimili abſente, mitior fit,

convulſ. cap. VIII. in Oper. p. 67. ſeqq.) affectus ita tacite obrepebat, ut aegrotationis initia vix perciperentur; nam aeger nec de calore immodico, nec ſiti acriori conquerebatur. Et HUXHAMUS (*Oper. Phiſ. Med.* Tom. II. p. 78.) memorat aegrotum in principio morbi levem perſentiſcere horrorem ac tremorem cum errante repentino calore. CAROL. DE MERTENS (*Obſervat. Med. de Febr. putrid. &c.* Vienn. 1778.) febrem putridam nervoſam, quam obſervavit & deſcripſit (l. c. p. 56. ſeqq.) in tria ſtadia diviſit, inque primo vagum interdum calorem febrilem extremitatibus frigidis deprehendit, additque: *haec per quatuor vel quinque dies, immo per hebdomadam perdurabant, antequam notabilis febris obſervaretur - nulla ſitis aderat*. Febris irregularis in principio morbi meminit quoque DEMIANI (in Diſſ. *de Febre lenta nervoſa, rheumat. & hydr.* Lipſ. 1777. Praeſ. Celebr. BOSE vent. p. 25.), ut iam alios mittam.

(*a*) Non raro aegrotum apyreton dixiſſes, ſi ex pulſu, & corporis contrectati calore & urinis, utpote aut ex toto, aut propemodum naturalibus, febrim aeſtimaſſes. Horripilatio levis vaga (STOLL *Rat. Med.* Part. II. p. 36.

(*b*) WILLIS l. c. p. 68. MERTENS l. c. p. 58. 59.

(*c*) Ipſe WILLISIUS notavit, cruoris, quam dixit, efferveſcentiam in aliis intenſiorem, in aliis remiſſiorem fuiſſe; proindeque factum, ut ſitis

idque vel vere (*a*), vel in ſpeciem tantum ac inſidiſſe (*b*). Non raro vago incertoque tempo-

etiam, linguae ſcabrities aliaque ſymptomata, quae ab intemperie febrili pendent, plus aut minus aegros infeſtarent (l. c. p. 68.). Idemque STOLL (l. c. p. 35. 41. 42.) confirmat. Vero autem quam maxime, ſimile vehementiorem febrem lentam nervoſam numquam incidere, niſi diatheſis, quae ei favet, alia & imprimis inflammatoria adhaereat. Nam STOLL in iiſdem, quos acrior febris tenebat, & venaeſectionis utilitatem expertus eſt, & ſanguinem repoſitum cruſta pleuritica obtegi obſervavit (l. c. p. 41.), ipſeque monet: *erant illorum febres pituitoſo-inflammatoriae, aut inflammatorio-pituitoſae, potius quam ſimplices pituitoſae*. Inde explicatur etiam id, quod SYDENHAMUS conſignavit (Oper. omn. p. m. 355.): *febris - exacerbationes moleſtiſſimas ingruente nocte apportat, non aliter caſi duplex foret tertiana, ſive quotidiana*. Nam in ea, quam deſcripſit, epidemia, ſtatum inflammatorium ſimul adfuiſſe utilitas venaeſectionis, corium pleuriticum in ſanguine emiſſo obſervatum & verba SYDENHAMI: *hanc febrem nihil eſſe aliud, quam ſimplicem ſanguinis inflammationem* (l. c. p. 356.) ſatis ſuperque docent.

(*a*) Sic STOLL (l. c. p. 27.) pauciſſimos vidit, quibus levior nervoſa febris die ſexto, ſeptimo, octavo & conſequentibus, oborta larga & continuata diaphoreſi, & ſub auroram auctiori ſolvebatur. Quin alios ſubinde vidit, in quibus res intra ſolam diatheſin pituitoſam ſubſtitit atque in his febribus manifeſta numquam erupit (l. c. p. 40.).

(*b*) Vid. HOME Clinical. obſerv. and. Experim.: p. 2. ,, Pulſus, inquit, a pulſu ſani hominis non adeo abludebat, quam quidem ob alia ſympto-

re exacerbatur & remittit (*a*) ; ſubinde ſtatis quidem horis certoque tempore paroxyſmos ac remiſſiones format, ſic tamen, ut frigus, calor febrilis ac pulſus alio etiam diei tempore ſeſe efferant mirumque in modum varient (*b*). Solent vero exacerbationes huius febris plerumque

mata exſpectaſſem: nam paullo tantum frequentior, & debilior erat, & in genere 100. uſque ad 110. ictus minuto primo abſolvebat". Pulſum ſanorum pulſui non abſimilem, obſervavit SYDENHAM (l. c. p. 355.). Atque horripilationem levem, calorem modicum, ſitim non magnam aut nullam in hac febrium ſpecie etiamſi periculoſa plerumque, deprehendi, notarunt HUXHAM, DE MERTENS pluresque, quos omnes recenſere, moleſtum eſt.

(*a*) Cruoris effervescentiam *vagam* fuiſſe ac *incertam* memorat WILLIS (l. c. p. 68.). Atque STOLL (l. c. p. 35.) *febriles*, inquit, *motus aſſidui, nunc pluſculum elatiores, nunc vero depreſſiores, nullam temporis legem obſervarunt*.

(*b*) Sic HUXHAM (l. c. p. 79.) *pulſus*, inquit, *celer eſt, debilis & inaequalis, nonnumquam formicans, nonnumquam per nonnulla minuta lentus, imo intermittens, atque tunc cum repentino oris rubore ſtatim fit celerior, ac hunc fortaſſe mox excipit mirum in modum qietus & aequalis; & ita haec variant. Calor & horror quoque ſunt incerti*. Nec aequabili haec ſymptomata ratione partes occupant. Interdum genae rubent, dum nares & aures frigent ac pars capitis anterior eodem tempore ſudore madet frigido; quid? quod ſaepiſſime fieri ſolet, ut inſignis oris rubor & calor obſervetur, quum partes frigeant extremae (*Idem* l. m. c.). Similia alii referunt.

Digitized by Google

horis veſpertinis & verſus noctem incidere, mane vero remiſſiones obſervari (*a*). Febrem hanc interdum abſque notabili ſymptomatum vel acceſſione, vel decremento occurrere, notavit STOLL (*b*).

Quare febris lenta nervoſa, ſi eam in univerſum ſpectes, erit *mitis*, *continua*, *amphimerina*, *cum eo tamen*, *ut ſimul & vagas acceſſiones & remiſſiones habeat*, *& partes ipſas inaequabili ratione afficiat*.

§. II.

II. Symptomata nervoſa.

Symptomata nervoſa, quae comites ſeſe huic febri adiungunt, *partim* ad mentem, cerebrum ac nervos pertinent, *partim* ad muſculos fibraſque muſculares, nervorum imperio ſubiectas. Utrumque autem ſymptomatum nervoſorum genus in ſenſilitate & irritabilitate *vel* aucta, *vel* diminuta, *vel* alienata conſiſtit. Huc igitur pertinent.

(*a*) SYDENHAM, HUXHAM, & alii. Interdum pulſus mane a naturali non recedit; tardum hoc tempore eſſe pulſum, teſtis eſt DEMIANI. Inde forte etiam fit, ut ſint, qui calorem continuum in hac febre obtinere negent (DEMIANI l. c. pag. 9.).

(*b*) STOLL l. c. pag. 36.

1. *Pigritia* & *laſſitudo corporis*. Hanc, vel exoriente primum morbo, tam magnam obſervavit WILLISIUS (*a*), ut aegroti, ad motum quemvis inepti, tantum lecto diſcumbere & otio frui ambirent. Alias in primo ſtadio morbi ambulant, negotia obeunt, & aliquando modo interdiu iacere coguntur (*b*). Progrediente autem morbo laſſitudo haec ſemper increſcit, ita, ut aegri etiam vero animi deliquio affici poſſint (*c*). Praeterea aegri ex febre lenta nervoſa

2. *Animi* etiam *languore* ac *ſtupore* corripiuntur. Spirituum languorem & functionis animalis torpedinem memorat WILLISIUS (*d*). Tarditatem aut abiectionem animi narrat HUXHAM (*e*). Aegrotos vel in primo morbi ſtadio moroſos & meticuloſos fuiſſe eoſdemque in ſecundo vel minimam cauſſam in terrorem coniecisſe teſtatur DE MERTENS (*f*). Aegros tardos ſtupidos cum animi indifferentia fuiſſe, obſervavit STOLL (*g*). Similia habet HOME (*h*).

(*a*) L. c.
(*b*) DE MERTENS l. c. pag. 58.
(*c*) Idem l. m. c. HUXHAM l. c. p. 96.
(*d*) L. c.
(*e*) Pag. 78.
(*f*) Pag. <8. 59.
(*g*) L. c. pag. 36.
(*h*) L. c. „ Aegrotus non mox intelligebat, circa quae interrogabatur: hinc lente admodum ad ea

Negant aegri male ſe habere - liberiorem aërem facilius ferunt, ſed ſibi relicti omnem ſocietatem hominum fugiunt, triſtitia ſumma afflicti, ut ſtatum ſuum miſerandum & infelicem lacrymis, involuntarie defluentibus, deplorare poſſint (*a*). Hanc mentis imbecillitatem, progrediente morbo, magis increſcere, teſtis eſt HUXHAM (*b*).

3. *Somnolenti* quoque ſunt aegri; *omni tamen plerumque deſtituuntur ſomno*. Quamquam enim adſtantibus revera dormire videantur, attamen hoc non ſentiunt ſeque ita agere negant (*c*). Somnum in hoc morbo plane deficere, ac aegrum, quamquam torpidus, oculis clauſis - quietus in lecto cubet & ſomno opprimi videatur, re tamen accuratius penſitata vere vigilare, & per totius febris decurſum ſomno deſtituti, comprobat etiam DEMIANI (*d*). Vigiliarum & ſomni, inſomniis turbati, meminit quoque DE MERTENS (*e*). Delirium tamen profundiore ſub-

reſpondebat. Tam characteriſticum erat hoc ſignum, ut ex primis verbis, quae ab aegro proferebantur, mox pro certo videri potuerit, num ex hac quidem febre laboraret. Succeſſive haec ipſa in mentis imbecillitatem, ſeu fatuitatem abibant ".

(*a*) DEMIANI l. c. pag. 9.

(*b*) Pag. 81.

(*c*) HUXHAM pag. 79.

(*d*) L. m. c.

(*e*) L. c.

inde finiri comate, a quo ſubito oritur ſomnus aeternus, HUXHAMUS memoriae tradidit (*a*). Comatis quoque mentionem iniicit SYDENHAMUS (*b*).

4. Quam proclivis ſit morbus iſte ad inferenda *deliria*, vel ex eo perſpicitur, quod hanc proclivitatem teſtantur omnes. Sic WILLISIUS (*c*) *circa morbi*, inquit, *incrementum*, *quod in pleriſque intra octiduum contingit* – *aperta phrenesis aut altus ſtupor*, *ſive anaeſtheſia infeſtabant*. Et paucis interiectis verbis „ ſaepius obſervavi, in pleriſque pueris atque non raro in foeminis poſt ſeptem aut octo a decubitu dies, ſenſionem & loquelam penitus defeciſſe, adeoque aegrotantes, aliquamdiu, immo interdum totius menſis ſpatio, ſine adſtantium notitia, cumque involuntario excrementorum profluvio decubuiſſe; ſi iudicii & rationis uſus aliquatenus perſtaret; eos tamen crebro delirio, & conſtanter in ſomnis ſabulatione abſurda & incongrua laboraſſe; in viris autem aliiſque temperamenti calidioris, a materia morbifica, vice criſeos, in cerebrum translato, furor aut phreneſis pericu-

(*a*) Pag. 81.
(*b*) L. c. pag. 355. Et in univerſum morbus, ut ad inferenda deliria, ſic ad coma producendum aptus eſt.
(*c*) Pag. 68.

loſa, ac ſaepe lethalis ſuccedebat &c. SYDENHAMUS comatis quidem ac phreneſis ortum a ſtragulis lectique calore repetit, addit tamen: „ & ut verum fatear, ita proclivis eſt in hoc morbo ad phreneſin lapſus, ut perſaepe ſua ſponte, nulla eiuſmodi data anſa, illico ſubrepat ". Monet ſimul phreneſin mitiorem ac in variolis atque aliis febribus eſſe (*a*). Dolorem in parte capitis poſteriore generatim comitari febres nervoſas illoſque plerumque excipere delirium quoddam, HUXHAMUS teſtis eſt (*b*). Addit, circa ſeptimum & octavum diem nonnulla ſymptomata increſcere cum perpetuo ſuſurro & tinnitu aurium, qui aegrotum valde turbet & haud raro delirium excitet (*c*). *Dormientes*, inquit DE MERTENS, *loquebantur; ſubito evigilati delirabant* (*d*). Procedente morbo deliria continua obſervavit IDEM (*e*). Delirium, quod in hac febre occurrit, ab omnibus aliis diſtingui, ob confuſionem maximam, qua aegri cerebrum afficitur, obque illum motum, quo ſtragula attollunt arripiuntque, & res, quas ante oculos eſſe putant, capere volunt, indeque ſemper obmur-

(*a*) L. m. c.
(*b*) L. c. p. 78.
(*c*) Pag. 80. Vid. quoque pag. 81.
(*d*) Pag. 59.
(*e*) Pag. 61.

murantes, DEMIANI cenſet (*a*). At vero quis eſt, quin videat, phrenitidis haec indicia eſſe? In illis etiam, quos HOME recenſet, caſibus, frequens eſt delirii mentio (*b*). Delirium nocturnum, mite, taciturnum notavit STOLL (*c*).

5. Neque *dolores* variarum partium in febre lenta nervoſa deſunt. Incidunt igitur dolores capitis (atque hi fere nunquam abſunt), modo hanc, modo illam capitis regionem afficientes (*d*) oculorum (*e*) colli & faucium (*f*), pectoris (*g*), abdominis (*h*), dorſi (*i*), artuum (*k*).

6. Accedunt *anxietas* (*l*), *vertigo* (*m*), *tinnitus & ſuſurrus aurium* (*n*), *lucis intoleran-*

(*a*) L. c. pag. 10.
(*b*) Pag. 159. ſeqq.
(*c*) L. c. p. 36.
(*d*) WILLIS, STOLL, HUXHAM p. 78. DE MERTENS pag. 57. - 59. SYDENHAM pag. 355. HOME pag. 2. 164. 166. 169. 173. 174.
(*e*) HOME pag. 171. STOLL.
(*f*) SYDENHAM l. c. HOME p. 169. STOLL pag. 38.
(*g*) STOLL, HOME pag. 159.
(*h*) HOME pag. 3. STOLL.
(*i*) HOME pag. 173.
(*k*) WILLIS, SYDENHAM, STOLL.
(*l*) HUXHAM plur. loc. DE MERTENS pag. 57. 58. & alii.
(*m*) WILLIS, HUXHAM, MERTENS, &c.
(*n*) WILLIS, DE MERTENS pag. 58. STOLL pag. 37. HUXHAM.

tia (*a*), *ſurditas* (*b*). *Sitis*, pro febris & ſenſilitatis ratione, maior (*e*), minorve (*d*). Interdum nulla obſervatur (*c*). Nec deeſt proſtratus *appetitus* (*f*), interdumque nauſea. Guſtum americantem aut nullum habet STOLL (*g*).

7. Denique *tremor* aut univerſalis (*h*), aut particularis, linguae, vocis, manuum (*i*) & *convulſio* (*k*) ſubinde accedunt. *Singultus* & *ſternutationis* mentionem inicit HOME (*l*).

§. III.

(*a*) HUXHAM pag. 81. DE MERTENS pag. 58. Progrediente autem morbo a luce ſaepe ne irritantur quidem, teſte HUXHAMO l. c.

(*b*) HUXHAM, MERTENS pag. 61. STOLL pag. 36. In principio autem morbi ſaepe auditu nimis acuto gaudent (HUXHAM).

(*c*) HOME pag. 173.

(*d*) Vid. §. 1.

(*e*) STOLL pag. 35.

(*f*) WILLIS, MERTENS & alii.

(*g*) L. m. c.

(*h*) HUXHAM pag. 80.

(*i*) HUXHAM l. m. c. DE MERTENS pag. 59. DEMIANI pag. 10.

(*k*) WILLIS, HUXHAM pag. 81. HOME pag. 165. MERTENS pag. 61.

(*l*) L. c. pag. 3. 169.

§. III.

III. Symptomata functionum vitalium.

De febris ratione iam diximus. *Pulſus* praeterea in univerſum debilis inaequalis, &, procedente morbo, *celerrimus* & quaſi *tremulus* obſervatur (*a*). Tuſſis aegros perſaepe afficit. In ea, quam WILLISIUS deſcripſit, epidemia, in aliquibus tuſſis valde moleſta, cum ſputo copioſo & craſſo excitabatur; atque ea in nonnullis circa morbi declinationem ſucceſſit, verum in aliquibus, praeſertim qui in capite morbi noxam minorem luebant, ſtatim a febris initio, tuſſis immanis & foeda expuitio, cum diatheſi velut tabida ingruebant (*b*). *Aeger*, inquit SYDENHAMUS (*c*), *ut plurimum laborat tuſſi, quae quidem, quanto ab hyeme longius invadit morbus; tanto citius, una cum aliis ſymptomatibus, peripneumoniam mitem & boni moris comitantibus, recedit*. Tuſſis meminit quoque HUXHAM (*d*) *ſpirandique difficultatis* & *pectoris oppreſſionis* (*e*). Tuſſim veſpertinam, no-

(*a*) Vid. §. 1. MERTENS pag. 61.
(*b*) WILLIS pag. 69.
(*c*) L. c. p. 355.
(*d*) Pag. 86.
(*e*) Pag. 78.

ſturnam, ſiccam primo, dein ſputa extundentem craſſa, ductilia, albida, vireſcentia, memorat STOLL (a); *ſuſpiria cum reſpiratione laborioſa & inaequali* DE MERTENS (b). Reſpirationem vaide citatam obſervavit HOME (c), aliaque reſpirationis vitia; ut dolorificam, anxiam, laborioſam &c. (d). Huc *vocis* quoque vitia pertinent. Hanc enim *tremulam* eſſe, *debilem*, *vix intelligendam* memorant (e).

§. IV.

IV. Excretionis & excretorum vitia.

1. *Urinam* rubram, ut in ſcorbuticis, obſervavit WILLIS (f); alias naturalis (g), aut propemodum naturalis (h) conſpicitur. Urinam plerumque eſſe pallidam & limpidam, ſaepius vino ad calorem vel cereviſae ſecundariae ſimilem, ex qua vel nihil vel parum deſcendat,

(a) Pag. 36.
(b) Pag. 59.
(c) Pag. 2. 3.
(d) Pag. 163. ſeq.
(e) WILLIS pag. 68. MERTENS pag. 59. HOME pag. 3. &c.
(f) Pag. 68.
(g) HOME pag. 175.
(h) STOLL pag. 35.

vel materiem tantum laevem, furfuri ſimilem; inaequaliter diſperſam, eandemque, imminente delirio, fieri pallidiorem ac limpidiorem monuit HUXHAM (*a*). Urinae crudae, aquoſae in primo ſtadio, mox crudae, mox citrinae cum enaeoremate, quandoque iumentoſae, progrediente morbo, meminit DE MERTENS (*b*). Variam obſervavit HOME. Sedimentoſam, poſt ſudorem autem pallidam in eodem aegro, elapſis aliquot horis turbidam, plerumque abſque ſedimento (*c*). In alio aegro turbidam, interdum cum ſedimento lateritio (*d*). Turbidam cum ſedimento puriformi (*e*). Turbidam cum ſedimento, dein coloratiorem abſque ſedimento, tandem pallidiorem inſequente enaeoremate (*f*). Urinam plerumque pinguedine quaſi conſpurcatam eſſe, HUXHAM refert (*g*). Praeterea mictionis vitia varia incidunt. Interdum enim urina ſupprimitur (*h*), alias ardet; ut in go-

S 2

(*a*) Pag. 79. 80.
(*b*) Pag. 61.
(*c*) Pag. 159. 160.
(*d*) Pag. 163.
(*e*) Pag. 166. cf. pag. 177.
(*f*) Pag. 181. 172.
(*g*) Pag. 90.
(*h*) HOME pag. 3. Parcam obſervavit. *Idem* pag. 159. conf. HUXHAM pag. 90.

norrhoea venerea (*a*); haud raro nimium profluit (*b*). Involuntaria urinae & foecum excretio ad ſigna inſtantis mortis refertur (*c*).

2. *Cutim* in hac febre duram & ſiccam deprehendit HOME (*d*); aridam ſqualidam, inperſpirabilem & ſcabram STOLL (*e*); ſudorem, haud facilem, WILLIS. Cutim calidam & humidam, laudat HUXHAM (*f*). Sudorem moderatum, profuſum, profuſum viſcidum & frigidum habet IDEM (*g*). Profuſi meminit quoque DE MERTENS (*h*). Sudatiunculas pleriſque fuiſſe, teſtatur STOLL (*i*). Et in aegro quodam cutim ſemper humidam obſervavit HOME (*k*).

3. *Vomitum* perraro obſervavit WILLIS (*l*); nauſeam, haud raro cum vomendi conatibus, licet praeter phlegma inſipidum parum reiiceretur, HUXHAM (*m*). Nec vomitus in omnibus de-

(*a*) *Idem* pag. 3.
(*b*) HUXHAM. pag. 30.
(*c*) HUXHAM pag. 81. DE MERTENS pag. 61. cf. HOME pag. 174.
(*d*) Pag. 2.
(*e*) Pag. 35.
(*f*) Pag. 80. 81.
(*g*) Pag. 80. 85. ſeq.
(*h*) Pag. 60. 61.
(*i*) L. m. c.
(*k*) Pag. 168.
(*l*) Pag. 68.
(*m*) Pag. 78.

Digitized by Google

fuit, quos aegros ex hac febre vidit HOME (*a*). *Subinde*, inquit STOLL (*b*), *vomitus ſuapte acceſſit*, *parcus*, *pituitoſus*, *frequens*, *mirifice recreans*, *refrigerans* — *&* *quidam hoc modo quotidie vomitarunt*.

4. *Alvum* ſegnem interdum fuiſſe, memorat DE MERTENS (*c*); ſaepius autem diarrhoea acceſſit moderata profuſave, quod WILLIS. HUXHAM, HOME, STOLL, alii teſtantur. Teſte WILLISIO modo flava, modo tenuia & ſeroſa cum inſigni foetore deiiciebantur copioſe. Similem diarrhoeam habet HOME pag. 8. conf. HUXHAM pag. 89.

5. *Salivationem* ſpontaneam, eamque copioſam & ſine aphthis occurrentem, valdopere laudat HUXHAM (*d*). Salivationem & ſomnum placidum, per aliquot dies durantem, ſaepe vincere morbum, indeque pro criticis haberi, DEMIANI monet (*e*).

6. De *ſputis* iam dictum (§. III.). Subinde quoque involuntaria lacrumarum profuſio occurrit. *Haemorrhagiae* autem ſpontaneae ra-

(*a*) V. g. pag. 10.
(*b*) Pag. 39.
(*c*) Pag. 61.
(*d*) Pag. 89.
(*e*) Pag. 11.

riſſime obſervatae, nec ſolvitur iis morbus, ſi purus eſt (*a*).

§. V.

V. Qualitates ſenſibiles alienatae.

1. Graves morbi vix unquam illaeſa facie incidunt. Quam quidem ob cauſſam non mirandum, faciem in febre lenta nervoſa a naturali conditione ſua permultum recedere. Languidae, pallidae ac triſtis faciei meminit HUXHAM (*b*), accedente poſtea repentino eius rubore (*c*). Colorem faciei mox pallidum, mox floridum apparere teſtatur DE MERTENS (*d*). Rubor faciei, genarumque, & εὐχροια, oris naſique omnis ambitus cum virore flaveſcens, a STOLLIO obſervata (*e*). Obſervatur etiam inſignis illa oculi mutatio, qua fit, ut peralbum inducat colorem ac cornea collabatur ita, ut humorem aqueum vix tranſparentem crederes, ut faeies cinereo-pallidum colorem accipiat, cum

(*a*) HOME pag. 175. Sub vomitu acceſſit haemorrhagia narium non minima.
(*b*) Pag. 78.
(*c*) Pag. 79.
(*d*) Pag. 58.
(*e*) Pag. 35.

notis & rugis eiuſmodi, quae valde miſerandum ſtatum aegri adſtantibus declarant (*a*).

2. Linguae ſcabritiem plus minus magnam eſſe in hoc morbo, idque pro febris ratione, WILLISIUS monet (*b*). Accuratius paullo SYDENHAMUS linguae conditionem deſcripſit (*c*). *Lingua aegri*, inquit, *pro ratione imperati regiminis, vel humida eſt, vel ſicca. Ubi inaruerit, fuſci eſt coloris in medio; quam partem undique cingit fimbria inalbeſcens. Ubi vero humida eſt lingua, omni ex parte alba eſt, pellicula item ſcabra & alba veſtita. Nam ſi aeger ab adhibito regimine plus iuſto incaleſcat, lingua fere eſt fuſca & arida; ſin minus humida eſt, & alba*. Lingua, obſervante HUXHAMO (*d*), in principio raro aut nunquam ſicca vel diſcolor, interdum vero tenui albicante muco eſt obducta, tandem ea ſaepius quidem arida, rubra, & fiſſa aut corticis malorum aurantiorum colore apparet; hoc autem plerumque in ipſo morbi ſtatu aut eius fine fieri ſolet; ſpeciatim pars eius media fit admodum arida, luteo cum margine in utroque latere; interdumque aeger de

(*a*) DEMIANI pag. 10. HOME pag. 2.
(*b*) Pag. 68.
(*c*) Pag. 356.
(*d*) Pag. 79. 80.

linguae calore, abſque vix ulla ſiti, conqueritur. In principio morbi linguam humidam & muco albo obductam, obſervavit DE MERTENS (*a*) procedente autem morbo, eam cruſta flava nigrave tectam deprehendit, cum muco tenaci totum os & fauces obducente (*b*). „ Lingua, inquit HOME, primum alba, dein brunea, tunc ſicca fiebat, & ſic per totum morbum manebat (*c*) ". Lingua glabra, glutine velut ſcriniariorum obducta, ſubinde pura, ſed ſicceſcens, praerubra, aut modice albicans, reſiccata, arida, fiſſa, aduſta (*d*).

3. Saepius quoque huic morbo *exanthemata* innguntur. Vidit in quibuſdam WILLIS (*e*) puſtulas aquoſas, quae in ulcera cava & aegre ſanabilia tranſibant; interdum maculae exiguae & petechiales apparuerunt; non audivit tamen, latiores, aut lividas in huiuſmodi aegrotis unquam conſpicuas fuiſſe. Varium exanthematum genus in hoc morbo obſervavit quoque SYDENHAM, petechias nempe & eruptiones miliares, morbillis haud abſimiles, quas quidem ſua nonnunquam ſponte ingruere, ſaepius autem calore cum

(*a*) Pag. 57. 58.
(*b*) Pag. 61.
(*c*) Pag. 2.
(*d*) STOLL l. c. pag. 35.
(*e*) Pag. 69.

regiminis, tum curationis extorqueri, teſtatur (*a*). Eruptiones miliares memorat quoque HUXHAM, quas ſaepius ſeptimo, nono, aut undecimo febris die, interdumque tardius ac repetitis vicibus apparere, aſſerit (*b*), & frequentius, non morbi ſolum magnitudinem, ſed perverſam quoque medicorum medendi methodum oſtendere, contendit (*c*). Miliaria cum petechiis, haſve ſolas, ſine levamine, vidit DE MERTENS, notavitque colorem purpureum ante mortem in fuſcum mutari (*d*). *Nonnullis*, inquit STOLL, (*e*), *etſi per paucis, eruptio miliaris prodit, alba plerumque, rarius rubra, illis conferta, incerto tempore, nec iiſdem ubique in locis, & ſubinde cum aegritudinis levamine. Eo vero in caſu levari morbus hac eruptione videbatur, ubi ea ſerius fiebat, & ventriculo ventreque repurgato, & non coacta, ac inter ſudores ſpontaneos, largos, protractos*. Poſt ſudores colliquativos, in hac febre exanthematum ſingularem ſpeciem, quae cum purpura quam maxime conveniat, erumpere, per totius corporis ſuperficiem diſſipari, & nullum levamen pro-

(*a*) Pag. 356.
(*b*) Pag. 87. 88.
(*c*) Pag. 92.
(*d*) Pag. 59. 60.
(*e*) Pag. 39.

Digitized by Google

creare, imo delirium proximum eſſe denotare, DEMIANI narrat (*a*); IDEMQUE exanthematum quoddam genus circa finem morbi in toto pene corporis ambitu prodire, cumque intolerabili & pertinaci pruritu acrem humorem fundere, teſtatur (*b*).

4. *Aphtharum* quoque frequens fit in hoc morbo mentio (*c*), nec omnes periculum portendunt (*d*). Nonnunquam etiam anginoidea faucium rubedo accedit, quam plures viderunt.

5. *Maciem ſummam* a morbo per plures hebdomades ac menſes perſiſtente, obſervavit WILLIS (*e*). IDEM commemorat *tumores in glandulis iuxta cervicem*, & quibus aegre maturatis & difruptis ithor tenuis & foetidus longo tempore emanavit, & levamen attulit (*f*). *Abdo-*

(*a*) Pag. 10.
(*b*) Pag. 11.
(*c*) HUXHAM pag. 89. DE MERTENS pag. 61. STOLL pag. 34. DEMIANI pag. 11.
(*d*) DEMIANI l. m. c. *Aphthis ſaepe vexatur internum os, quae ſi diſtinctae ob initio morbi apparent, malae non ſunt, ſi vero confluentes, quod ille fixus & vehemens dolor partis inferioris dorſi indicat, numquam, praeſertim ſi lingua ſola nec fauces totae iis, ut lardo qui ſi obducitur, aliquid boni praedicunt. In his aphthis ichor continetur, uti ex guſtu in deglutitione patet, qui poſtea cauſſa diarrhoeae, quae in ultimo morbi ſtatu oritur & aegrum plane ſupprimit, evadit.*
(*e*) Pag. 68. Conf. STOLL. pag. 38.
(*f*) Pag. 69.

men pleriſque modice intumuiſſe, doluiſſeque & contrectatum, & inter tuſſiendum, quibuſdam autem tympanitice tenſum apparuiſſe, teſtatur STOLL (*a*). Sanguis, e vena ſecta eductus, nonnunquam denſus, ſpiſſus, inflammatorius deprehenſus eſt, ut SYDENHAM, STOLL, HOME & alii notarunt (§. I.). Alii eundem tenuem viderunt, aut ſanum.

§. VI.

Duratio morbi.

Tempus durationis accurate in morbo definiri nequit. WILLISIUS (*b*) haec monet: *laborantes raro intra tres aut quatuor hebdomades, immo utplurimum vix intra totidem menſes convaleſcebant. Quodſi in homines praefractae aetatis, aut virium, hic morbus inciderit, praeſertim qui affectibus cephalicis - erant prius obnoxii, eos ſaepenumero breviori ſpatio interfecit.* - Aegrotos e vivis tolli, aut comatis aut convulſionis acceſſu, poſt quatuordecim, quindecim aut ſedecim dierum immo interdum multo diuturniorem languorem, HUXHAMUS (*c*). Febris epi-

(*a*) Pag. 36.
(*b*) Pag. 69.
(*c*) Pag. 81.

Digitized by Google

demica nervoſa, quam HOME deſcripſit, utplurimum quinque aut ſex hebdomades durabat rariuſque citius finem aſſequebatur (*a*). Nulli dierum periodo adſtrictam hanc febrim vidit STOLL qua appetente commotio oriretur, & morbi criſis (*b*). Qui moriuntur aegri, ante diem decimum ſeptimum vita privantur, quorum vero vita uſque ad vigeſimum primum diem protrahitur, ſanantur (*c*). Quibus ſi adiicis ea, quae iam §. I. allata ſunt, peſtiſque, quae commemorantur, nervoſae exempla: intelliges ſane, tempus durationis in hoc morbo inconſtans eſſe, morbumque ipſum, mox acuti, mox ſubacuti, mox chronici indolem prae ſe ferre, niſi forte illum in eo caſu, ubi chronicus eſſe videtur, ad acutos deciduos referre tibi magis placeat (*d*).

§. VII.

Modus ſolutionis.

Etſi febris lenta nervoſa plerumque periculoſis morbis annumerari debeat: non raro tamen huius febris, feliciter ſuperatae, exempla ex-

(*a*) Pag. 3.
(*b*) Pag. 46.
(*c*) DEMIANI pag. 10.
(*d*) GALENUS *de dieb. decret.* II. 12.

ſtant. E prioribus iam patere poſſunt ea, quibus ſanitatis reſtitutio adiuvatur. Huc nempe *partim* excretiones quaedam, vomitus, diarrhoea, diaphoreſis, urina, ſputa & ſalivatio, *partim* metaſtaſes nonnullae, ut exanthemata, aphthae, ac tumores quidam glandularum, pertinent. Quamquam enim praedictae, cum excretiones, tum metaſtaſes, ſubinde morbum vel non ſolvunt, vel etiam augent; poſſunt tamen, ſi ſigna reliqua bona ſunt, ut ſalutares ſpectari. Rarius autem febris lenta nervoſa vera criſi ſolvitur; plerumque enim tam mitis eſt, tamque parum movet aegrum, ut lyſi potius, quam criſi iudicetur. Vid. hac de re Auctores, quos laudavi.

Subinde morbus in mortem tranſit, delirio nempe, in affectum comatoſum aut convulſionem mutato (*a*). Sectiones mortuorum rarius, quam optes, inſtitutae. Aliquas tamen recenſuit HOME (*b*), in quarum quidem una pus in cerebro & cerebello deprehenſum, in omnibus autem hepar lividum obſervatum. Quae WILLISIUS obſervavit (*c*), ad intelligendam morbi naturam parum proficua ſunt.

(*a*) Pag. 81.
(*b*) Pag. 8. ſeq.
(*c*) L. c. pag. 75.

Poteſt denique febris lenta nervoſa, ut ſimiles ei febres, varia mala relinquere. Imprimis huc corporis viriumque diuturnus languor pertinet. Ad relapſum quoque eundemque periculoſum, is morbus pronus eſt (a).

§. VIII.

Febris lenta nervoſa putridis accenſenda.

Quibus, ab obſervatione petitis, iam praemiſſis, ſequitur, ut veram huius febris indolem naturamque deſcribamus. Et primo quidem e dictis conſtare puto, febrem lentam nervoſam ad putridas febres referri debere. Multo ſane & gravia argumenta hoc ſuadent. 1. Frequens in hac febre & facilis exanthematum ipſarumque aphtharum, perſaepe malignarum, proventus. Petechias enim, miliaria & aphthas putridam quandam labem indicare, nemo, puto, negabit; 2., febres lentae nervoſae perfrequenter, quin ſemper eo tempore, ubi febres putridae graſſantur, in his illiſve ſubiectis obſervantur. Docent id omnes febrium putridarum epidemiae; 3., cauſſae harum febrium remotae eae ipſae ſunt, quas novimus putredini favere, ut aër impurus, humidus, laxitas & debilitas ſolido-

(a) Pag. 38.

rum (*a*) ; 4. , interdum excreta eum foetorem oſtenderunt, qui putredinis aut maioris corruptionis teſtis eſt, exemplo eorum, quae diarrhoea expulſa ſunt. Quibus porro 5., forte illud etiam, argumenti non levis loco, adiungi poteſt, quod notavit DEMIANI; *oritur*, inquit, *nonnunquam*, *poſt applicata emplaſtra veſicatoria*, *gangraena* (*b*). In ſebribus enim morbiſque putridis hoc pluries obſervatum eſſe novimus. Denique 6., febris lenta nervoſa nonnunquam contagioſa obſervata (*c*). DEMIANI quidem multus, ut video, in eo eſt, ut febrem lentam nervoſam a febre putrida maligna diſtinguat. Enimvero non tanti, quae afſert, habenda ſunt, ut noſtram inde ſententiam derelinquendam eſſe exiſtimemus. Etenim ut de eo nil dicam, quod nonnulla febris putridae malignae ſigna a V. clar. propoſita eſſe inveniantur, quae certe non omni eius farinae febri tribui poſſunt, ut foetor inſignis omnium excretorum, ſanguis ita reſolutus ex vena fluens, ut vix coaguletur in aëre libero &c. (nam & gradus putredinis varii in ea occurrunt, & me-

(*a*) Cf. *Illuſtr.* b. m. VOGEL Diſſ. *de febre nervoſa eiuſque genuina indole*, Goett. 1767. §. IV. ſeq. & alii paſſim laudati.

(*b*) Pag. 17.

(*c*) WILLIS, DEMIANI pag. 24.

dici febris putridae nomine non eam modo dignam cenſent, quae materiae vere putridae debetur, ſed eam etiam, quae ad inducendam putredinem valde proclivis eſt): hoc imprimis monendum eſſe duco, ex argumentis, quibus utitur DEMIANI, nihil aliud colligi poſſe, quam febrem lentam nervoſam a putridis febribus, quae non ſint nervoſae, diſtingui debere, quod ſane lubens concedo, alias etiam perſuaſus, febres putridas, pro ſubiectorum caeterarumque conditionum varietate, diverſa admodum ratione incedere. Nec deſunt Medici, ut hoc addam, in magna auctoritate verſantes, quibus febres lentas nervoſas itidem ad febrium putridarum genus referre placuit. *Sic* VOGELIUS *acrimonia*, inquit, *putrida, quam in malignis pro efficiente cauſſa venditant, profecto in nervoſa quoque per diarrhoeas, ſalivationem, aphthas, aliaque ſymptomata luculenter ſeſe manifeſtat* (*a*).

§. IX.

(*a*) L. c. pag. 30. §. 35. cf. HUXHAM pag. 90. 91.

(*) Voluiſſem, egregiae huius Diſſertationis Auctorem paullo cautius circa *putredinoſam* huius morbi naturam fuiſſe verſatum! Neque enim *exanthemata*, *putredinem* demonſtrant: cum & in morbis omnino *inflammatoriis*, comparuiſſe viderim, & venaeſectionis opem admiſiſſe, cum evidenti quidem cruoris conſtitutione phlogiſtica. A ſolis iterum mytulis oſtreiſque commeſtis viſa ſunt

§. IX.

Sedes putridae materiei in primis viis.

Febrium putridarum eam eſſe indolem, ut in caſibus longe plurimis a labe primarum via-

---

in cute exanthemata effloruiſſe, neque ſolius mehercle putredinis effectum ſiſtunt exanthemata. Eodem tempore, quo *febres putridae*, comparere *nervoſas*, poſſet hoc de multiplici magis unius eiuſdemque cauſſae effectu, quam de *putrida* morbi natura teſtari. Neque foetor excretorum hic multum probat: cum & in ſanis alias hominibus, enormis aliquando flatuum foetor, putredinem tantam non comprobet. Saniſſimae mulieres, dum menſtruantur, ſaepe, ob ſanguinis in vaginae plicis factam remoram, penetrantiſſimum odorem ſpargunt; variaque ſubeſſe poſſunt alia, quae excernendorum corruptioni favent, quin morbi naturam *putredinoſam* ideo doceant. *Gangraena*, quae in febribus nervoſis aliquando ſequitur veſicantium adplicationem, ex *debilitate* magis, quam a putredine derivanda eſt, atque evitatur facile, ſi, rubore, ſtimulantium externorum ope in cute excitato, contenti, veſicas & exulcerationem ſuperficiei praepediamus. Dein non omnis, qui *contagioſus* eſt morbus, ad *putridos* ſpectat, manifeſto variolarum, morbillorum exemplo; neque *reſoluti* ſanguinis maius argumentum eſt: ut qui, ex una eademque vena, eodem tempore, miſſus, in illo ſaepe vaſculo reſolutus, in hoc vero tenax apparet, aut cruſta etiam obtegitur. Neque certe *evacuantia*: ſi

rum ibidemque recondito putrido oriantur, neminem ſugere exiſtimo. Atqui intelleximus (§. ant.) febres lentas nervoſas generi putridarum ſubeſſe. Igitur eas gaſtricis aut inteſtinalibus febribus adnumerari debere iam inde, haud ſine ſumma veritatis ſpecie, augurari poſſumus. Enim vero huic alia propria argumenta accedunt. Petechiae, purpura, aphthae perfrequenter in hoc morbo, imprimis graviore, erumpentes; dolores primarum viarum ſaepius obſervati; anorexia, faſtidium, nauſea, vomitus ipſi; impuritas linguae; levamen a vomitu ſpontaneo; uſus emeticorum leniorum a ſummis viris commendatus; diarrhoeae itidem in hoc morbo minime raro occurrentes; ſingularis denique iſta faciei rubedo, quam pro ſigno febrium, e primis viis oriundarum, habet STOLL (§. V.): haec, inquam, omnia ſatis ſuperque ſuadent,

---

ſola forte, ſub initium, *emetica* excipias, quae non ſemper hic ut *evacuantia* agunt: - in hac febre *nervoſa*, niſi cum ſaburris gaſtricis *complicata* incedat, proficua eſſe ſolent; ſed multum ſaepe damni afferunt. Ultimo demum, ipſe corticis peruviani in *febre nervea* uſus tantae virtutis non obſervatur, ac quidem in *putridis* eſſe ſolet: ex quibus omnibus certe concludendum erit: poſſe quidem nervoſam febrim cum gaſtricis morbis, poſſe cum putridis ſic dictis vel cum *typho* combinari; propriam vero ſimplicis nervoſae febris naturam, licet & CULLENIUS aliter ſenſerit, nequaquam ad *putridas* pertinere.

Digitized by Google

ſedem putridi, quod in febribus lentis nervoſis praeſto eſt, primas eſſe vias, maxime autem & plerumque ventriculum. Accedit etiam, quod obſervatum ſit, febrem lentam nervoſam a crudis ingeſtis ſubortam eſſe, interdumque diarrhoeae ſuppreſſionem ſecutàm (a). Poſt febrem intermittentem eandem obſervavit DEMIANI (b). Caeterae quoque febrium lentarum nervoſarum cauſſae, ut aëris vitia, perſpiratio ſuppreſſa, debilitas generis nervoſi, perverſitati ſuccorum in univerſum quidem, imprimis autem eorum favent, quos aut continet, aut recipit primarum viarum canalis. Qui denique conſenſum primarum viarum cum reliquis corporis partibus perpendit, ad eumque ſymptomata febris lentae nervoſae, in ſuperioribus deſcripta, refert, intelliget facile, horum longe maximum numerum inde a colluvie primarum viarum explicari poſſe. Neque aſſertum noſtrum eo convelli poſſe exiſtimo, quod moderata diaphoreſis ſaluberrima deprehenſa eſt. Salubritas enim iſta auctae perſpirationis ſatis omnino apte explicari poteſt, licet febrem lentam nervoſam a primis viis, oriri concipias. Nam fieri poteſt, ut in febribus cum

(a) HOME pag. 3.
(b) L. c. pag. 11.

gaſtricis, tum inteſtinalibus, materia nocens partim ad ſanguinem vehatur, tumque ſalutariter per diaphoreſin eliminetur, ut de eo nihil dicam, quod diaphoreſis ideo ſaepe optanda ſit in hoc morbo, quod in univerſum mitiorem morbi indolem indicat & ſignum praebet, humores aequabili magis ratione diſtribui, nec ad loca nobiliora infelici metaſtaſi moveri. Cruditatis quidem primarum viarum, ſectiones mortuorum referens HOMIUS, non ſolum non meminit, ſed adfuiſſe eam etiam negat (*a*), itemque WILLISIUS (*b*). Enimvero HOMIUS narrat tamen colorem hepatis lividum & vaſa ventriculi & inteſtinorum turgida, paſſimque ventriculum male coloratum fuiſſe. Cumque ſtatus morbi aegrique multis circa mortem modis mutari queat: inde ab eo, quod inſtituta a morte ſectione deprehendis, non ſatis ſemper certo ad veram morbi indolem colligere poteris. Tandem pus, quod in cerebro & cerebello invenit HOME (§. VII.), ſedem cauſſae morbi in cerebro ac cerebello ponendam eſſe minime ſuadet, cum partes praedictae, fere ut oculi, pulmones &c. vel ſola partium ſympathia inflammari poſſint, nec ſatis etiam conſtet, pus illud vere in encephalo ena-

---

(*a*) Pag. 9. 10.
(*b*) Pag. 75.

Digitized by Google

tum ; haudquaquam vero ad illud translatum eſſe. Quod reſtat, theoriae per obſervata rite firmatae, iſtiuſmodi dubitationes, quae ipſae haud firmo innituntur fundamento, nunquam opponere licebit.

§. X.

Putridum illud pituitae adhaeret.

Fieri interdum, ut aeger ex febre lenta nervoſa, inſigni ſimul pituitae viſcidae copia, primas replente vias, laboret, dubitari nequit. Praeprimis hoc ſuadet epidemia, quam deſcripſit STOLL, quique ideo febrem hanc lentam nervoſam potius *phlegmaticam* ſeu *pituitoſam*, vel & *lymphaticam*, quam *nervoſam* dici voluit (*a*). Lentorem autem lymphae ſemper in hoc morbo obtinere, contendit HUXHAM (*b*). Quam quidem ſententiam non omni veritatis ſpecie carere, inde maxime intelliges, quod ſubiecta febris lentae nervoſae laxitate ſolidorum & debilitate nervorum, plerumque ſaltim, laborant; quod cruda inſalubria alimenta huic morbo fa-

(*a*) Pag. 40.
(*b*) Pag. 82. 90.

vent ; quod pituita interdum in ore faucibuſque valdopere redundat , adeo interdum , ut etiam totas fauces oppleat & ſtrangulationis metum faciat (*a*) ; quod petechiae , miliaria & aphthae haud ſine viſcido quodam oriuntur ; quodque ſigna putridi in hoc morbo & obſcuriora ſunt , & ſerius prodire ſolent . Hunc caeterum lentorem ab inflammatorio multum differre , facile patet , etſi fieri poſſit , ut eidem inflammatorius accedat (§. III.) . Cave etiam exiſtimes , pituitam iſtam redundantem ac viſcidam ſolam producendae febri lentae nervoſae parem eſſe . Nam ſola pituitae redundantia febres quidem intermittentes , nunquam vero acutas continuas efficere poteſt .

§. XI.

Indoles febris lentae nervoſae accuratius definitur.

Quae (§§. VIII. X.) quamquam veritati ſatis conſentanea ſunt , attamen ad intellectum verae harum febrium naturae ac indolis nequaquam ſufficiunt . Quot enim non febres acutae continentes , continuae ac intermittentes inde a putrida primarum viarum ac viſcida pituitoſa

(*a*) L. c. pag. 27. §. 30.

Digitized by Google

colluvie oriri poſſunt ? Igitur natura ſebrium lentarum nervoſarum multo adhuc accuratius definienda erit . Cumque ſpecificam cauſſarum, febres haſce determinantium, indolem ſingularemque earum agendi modum vix ac ne vix quidem diſtincte perſpicere queamus : ſequitur, diſcrimen febrium lentarum nervoſarum a caeteris febribus non omnino a cauſſarum conſideratione repeti poſſe ac debere, ſed potius a ſymptomatibus, quae in ſenſus incurrunt & fidiſſima morborum ſigna ſubminiſtrant . Hanc vero methodum ſequuturi, ad duo potiſſimum attendamus, neceſſe eſt, momenta ; alterum ad febrilia ſymptomata, quae mitiora apparent, febrimque ipſam, quae, ut cum GALENO loquar, tardiorem motum habet, redit ; alterum vero in iis ſymptomatibus poſitum eſt, quibus cerebrum totumque genus nervoſum turbatur . Atqui de priori momento iam diximus (§§. I. VI.) . Reſtat igitur, ut oſtendamus, quibus cerebrum ac nervi modis male in febribus lentis nervoſis afficiantur . Sunt quidem, qui exiſtiment, hanc febrem ideo nervoſam dici, quod nervis praeprimis inimica atque infeſta ſit, pluraque ex ipſorum affectione ſymptomata inducat, quam in aliis febribus ſeſe offerant (a) . Verum enim ve-

(a) VOGEL l. c. pag. 2. §. 2.

ro ſuadent obſervata, in definienda febris nervoſae natura, non tam gradum, quam modum, quo afficiantur nervi, reſpici debere. Sic virium debilitate, animi deliquiis & capitis doloribus febrem lentam nervoſam ſuperat putrida maligna (*a*). Conf. §. II.

§. XII.

Febris lenta nervoſa comparatur cum phrenitide.

Quae cum ita ſint, videamus iam, qua ratione cerebrum ac nervi in lentis nervoſis febribus laedantur. Equidem in ea ſententia verſer, hoc in morem phrenitidis fieri. Quod ut pateat, naturam phrenitidis comparabimus cum ſymptomatibus nervoſis, quae comites ſeſe febri lentae nervoſae adiungunt, quaeque iam in ſuperioribus fuſe commemoravimus (§§. II. ſeq.).

Phrenitis Medicis dicitur delirium febrile, acutum & perpetuum, ut *paraphroſyne* delirium febrile (breve, acutumve), quod tempore exacerbationis ſtatuſve morbi tantum obſervatur. Phrenitis cum comate ſomnolento, *typhomania* (*b*), cum vigili ſopore, *phrenitis falſa* ſ. *ſpuria* (catochus) (*c*), cum inſigni languore & deli-

(*a*) DEMIANI pag. 12.
(*b*) GALENUS *de comate* cap. 4. ſeq. Comment. I. *in prorrhet* text. I.
(*c*) ALEXANDER TRALLIANUS Libr. 1., 13.

rio obſcuro, *phrenitis hectica* (*a*) vocatur. Dividitur quoque phrenitis in *incipientem*, *adultam* & inveteratam (*b*), inque *protopathicam*, & *ſymptomaticam*, *idiopathicam* & *ſympathicam*, ut iam alias, his ſubiectas, differentias eius mittam.

Quibus praemiſſis, ad rem ipſam accedamus. Et primo quidem febrem lentam nervoſam ad inferendam phrenitidem valde proclivem eſſe inque eam facillime tranſire §. II. pluribus adductis obſervatis, oſtendimus. Neque eſt ſane, cur miremur hoc. Nam dari phrenitides, ſympathia primarum viarum cum cerebro productas, dubio caret; fieri quoque poteſt, ut febrilis materies e primis, quas dicunt, viis ad ſanguinem reſumatur adque cerebrum vehatur, in ſubiectis potiſſimum, quorum & cerebrum, & nervi robore iuſto carent, qualia ſunt, quae febri huic ſuccumbunt. Deinde autem ſi accuratius phrenitidis phaenomena cum iis conferas, quae febri lentae nervoſae tribuuntur (§§. II. ſeq.): non ſolum haud ullum praecipuum phrenitidis ſymptoma deprehendes, quod non in hac febrium ſpecie obſervatum ſit, ſed intelliges quoque, febrem quamcunque lentam nervoſam, vel in principio ſtatim, aut eſſe iam phrenitidis

(*a*) GALENUS *in prorrh.* l. c. 33.
(*b*) ALEXANDER TRALLIANUS l. m. c.

Digitized by Google

quandam ſpeciem ; aut iis ſaltem ſignis ſtipari ; quae phrenitidem annuntiant. Mentis enim emotio perpetua cum febre acuta continua; vigiliae iuges, aut ſomnus turbarum plenus, ipſumque coma vigil aut lethargus, oblivio; faciles inſignesque phantaſiae turbae; adiaphoria aut irritabilitas ſumma; tremores; convulſiones; carphologia, crocidiſmus & venatus floccorum volitantium &c. bleſtriſmus; adipſia, lingua interea ſicca, aſpera, interdumque nigra; raptus humorum verſus caput; rubor faciei perſeverans aut per intervalla in pallorem mutatus; ſudor in ſuperioribus; oculi ſqualidi, rubentes, aridi, pulverulenti, lacrumoſi &c. viſus, olfactus, auditus aut nimis acutus, aut debilis, aut depravatus; gravitas aut dolor capitis, maxime occipitis ac cervicis; aphonia, aut loquela delira, inapprehenſibilis; reſpiratio laeſa; ſpaſmi extremorum & abdominis varii, indeque enatae turbae; praecipua, me quidem iudice, ſymptomata ſiſtunt, quae phrenitidem veram praecedunt comitanturque. Atqui haec ipſa phaenomena partim cum febre lenta nervoſa incidunt, partim eandem, iam enatam aliquamdiu, ſequuntur (§§. II. ſeq.). Igitur febris lenta nervoſa non ſolum ſummam habet in phreneſin propenſionem, verum ipſa etiam nihil aliud eſt, quam phrenitidis quaedam ſpecies, eius maxime, quam *hecticam* vocavit GALENUS.

Digitized by Google

§. XIII.

Idem porro.

Addam nonnulla quae aſſertum hoc confirment dictiſque forte lucem maiorem affundant. Primo delirium, phrenitidis comes varium eſt & multiplex; ferinum, turbulentum, placidum, obſcurum, cum riſu aut cantilena, cum ſtudio, cum metu ac ſollicitudine; errantque omnino, qui delirium phreniticum ſemper furibundum eſſe putant. Subinde variae deliriorum ſpecies in uno ſe aegro excipiunt. Nec fatuitas aut ſtupiditas mentis aliena eſt a phrenitide. Quare febris lenta nervoſa, etſi emotio mentis, quae ad eandem accedit, placida plerumque eſt, mitiſque, aut immixtis, fatuitatis aut ſtupiditatis ſignis comparet, iure tamen meritoque ad phrenitidem referri poteſt. Secundo delirium phreniticum a reliquis deliriis, quae febrilia ſunt, in eo maxime differt, quod veluti ab ipſa cerebri ſubſtantia laeſa ſubnaſcatur. Huius autem indolis delirium eorum eſſe, qui febre lenta nervoſa laborant & phaenomena ſuadent, & ſectiones, a morte eorum ſuſceptae. Tertio perquam raro accidit, ut delirium una cum febre phrenitica ingruat, plerumque haec potius tempore delirium, ocyus ſerius accedens, praecurrit; idemque de

eo delirio dicendum, quod febrem lentam nervoſam comitatur. Delirium quidem ſerius plerumque in febre lenta nervoſa comparet, quam in vulgo ita dicta phrenitide. Enim vero hoc a ſola totius morbi tarditate pendet; ſubindeque aliqua phrenitidis phaenomena iam in principio morbi adſunt (§. II.). Denique quarto febris phrenitica ad delirium phreniticum fere ita ſe habet, ut febris inflammatoria univerſalis, ad inflammationem particularem, in quam, ipſa perdurans, deſinit; eodemque ſe modo febris lenta nervoſa ad delirium habet. Medici quoque phrenitidem vel ob id a reliquis omnibus febribus continuis acutis diſtinguunt, quod vi propria naturaque ſua ſingulari delirium perpetuum efficit, fere ut aliae febres exanthemata, catarrhos, rheumatiſmos &c. producunt. Hoc vero anne de febre lenta nervoſa itidem affirmandum? Si diſceſſeris enim a proclivi eius in phrenitidem lapſu, illiſque eius ſymptomatibus, quae phrenitidem praenunciant, nil profecto ſupererit, quo, ad ſymptomata quod pertinet, a reliquis febribus eam diſtinguas.

§. XIV.

Definitio febris lentae nervoſae.

Igitur *febris lenta nervoſa* febris eſt putrida

lenta cum phrenitide (vel , ſi mavis , ſignis phreniticis) . Febrem autem *lentam* eam voco acutam , quae mitis apparet tardiuſque movetur (*) .

§. XV.

Conſectaria ,

1. Illuſtr. b. m. VOGELIUS l. c. negat , febrem lentam nervoſam , alia ratione , quam febris tarditate , a reliquis malignis differre ; indeque rectius *malignae lentae* nomine hanc febrium ſpeciem inſigniri , contendit . Anne vero dantur febres malignae (putridae) lentae , quas cum cerebrum mitius , alias autem partes v. g. pulmones , vehementius afficiunt , lentas *nervoſas* vix dicere poſſumus ? Etenim Anglos , famoſi nominis inventores , ad cerebrum maxime , in definienda huius febris natura , reſpicere , ea docent , quae de cauſſae ipſius morbi ſede proponunt . Sic HUXHAMUS manifeſtum eſſe putat , febrem lentam nervoſam a ſolidorum ſta-

(*) *Cum omnia febrium acutarum ſymptomata communia , aeſtus , ſitis , & pulſus in febre ſic dicta nervoſa minimum fere gradum vehementiae ſuae exſerant , lentarum cognomine iſtae recte poterunt appellari* (VOGEL l. c. §. 37 .

tu nimis relaxato, a ſanguine macro tenui, & a lentore & depravatione humorum lymphaticorum *nervoſorumque* ortum trahere (*); SAUNDERS ſedem morbi in cerebello eſſe putat (**), in cerebro HOME (***).

2. Oportet igitur nos febrem lentam nervoſam cum a febribus nervoſis, tum a febribus acutis nervoſis diſtinguere. Nam *febris nervoſa* in univerſum ea dici poteſt, qua genus nervoſum inſolentius afficitur; *febres acutae nervoſae* autem, praeter id, celeriorem motum nactae ſunt.

3. Cavendum etiam, ne ea febris pro febre lenta nervoſa venditetur, quae in hanc tantum tranſit aut mutatur.

4. Fuerunt, qui negarent, febrem lentam nervoſam a colluvie primarum viarum oriri; difficilius enim curari eam, datis emeticis & laxantibus, quam caeterae gaſtricae ac inteſtinales febres hiſce auxiliis ſanari ſoleant. Enim vero pituita putrido acrive adhaerens, debilitas & labes, cerebro forte iam illata, hanc difficultatem non inepte explicant; ut de eo nihil dicam, quod curatio eius ſubinde non adeo difficilis fuerit.

(*) Pag. 82.
(**) DEMIANI Pag. 11.
(***) L. c. pag. 11.

5. Cum omnes febres, pro diverſitate ſubiectorum & epidemiae, mirum in modum varient: febris inde lenta nervoſa quoque differre poteſt (§§. II.) (*). Quibus vero differentiis cave, ne ita utare, ut genium morbi inde in univerſum definias. Idem de methodo medendi dicendum (**).

6. Cerebrum in hoc morbo interdum inflammari HOMII ſectiones ſuadere videntur, forteque pus, per urinae vias quandoque evacuatum (***); at vero, cerebrum ſemper in his febribus inflammari, haud tuto inde colligi poſſe puto, utique, cum phrenitides ſubinde abſque cerebri inflammatione occurrant.

(*) Confer. quoque STOLL l. c. pag. 40.
(**) Vid. VOGEL & DEMIANI ll. cc.
(***) HOME pag. 177. Sunt, qui ideo negent, inflammationem cerebri in febre lenta nervoſa adeſſe, quod venae ſectio nociva, uſus opiatorum autem interdum ſalutaris fuerit. Verum haec argumenta facile refutari poſſunt.

IOAN. PETRI FRANK

MED. CLINICAE PROF. TICINENSIS &c.

DISCURSUS ACADEMICUS

DE

RACHITIDE ACUTA, ET ADULTORUM

Die 20. *Maii* 1788. *in Ticinenſi Academia recitatus*.

De Rachitide brevem hodie coram Vobis, *Rector Magnifice*, *Patres Sapientiſſimi*, *Commilitones Optimi*, ſermonem inſtituam: quem ſi, tam ob temporis penuriam, quam ob taedioſam oculorum, qua premor ab aliquo tempore, Phlogoſin, non concinnum adeo, auribuſque ſatis ſonorum recitaverim, non tamen, ſi ad obiecti naturam reſpiciam, hoc loco indignum eſſe, mihi quidem perſuadeo.

Tria vero, quae mihi occurrerunt, Rachitidis exempla hic commemorabo, quorum unum quidem, ratione citioris exitus, *Rachitidem acutam* ſiſtit, a nemine, quod ſciam, hucuſque deſcri-

deſcriptam ; altera vero duo , *Rachitidem adultorum concernunt* , quam minus raram quidem prima illa , ſed non communem certe dixerim : cum mihi , ſat magno annorum curriculo ad lectos aegrotorum peracto , praxique ampliſſima , non niſi *bis* obvenerit obſervanda.

Morbum vero , de quo loquor , veteribus incognitum fuiſſe dicunt , primumque in *Anglia* , inter annos 1612-20. , quo tempore in comitatibus *Dorſet* & *Sommerſet* obſervata fuit Rachitis , Medicorum attentionem ſibi promeruit . Ab ARNOLDO BOOTIO primum , dein plenius a GLISSONIO deſcripta . Interim cur ſero nimis Medicorum faſtis illata ſit *Rachitidis* hiſtoria , hoc & opinioni de hoc morbo , ac ſi *naturalis* non eſſet , attribuerim . Invenio enim evidentiſſima Rachitidis ſigna in pueris , quos ſaeculo adhuc *decimo quinto* , pro partu ex muliere *Saga* & *Daemone Incubo* , in ipſis etiam actis publicis declararunt . Neque impium tunc erat , prolem tam execrabili patre progenitam aut in aquis ſubmergere , aut alio quovis modo vita privare : licet nobilis in *Germania* quondam familia exſtaret , cuius Daemonem fuiſſe fundatorem eodem adhuc aevo firmiter adeo credebatur.

Aſt vero deliria veterum , morbi , nunc communiſſimi , naturam non illuſtrabunt : adducam igitur ſine ambagine , quid propriis hic oculis

viderim, & in hoc certe, tempus, quod mihi conceditis, melius collocabo.

Filia Praetoris Palatini, ex *Brettenſi* Urbe, decimum quartum gerens annum, ex rachitica admodum matre nata, integerrima tamen florentique admodum forma corporis praedita, incoepit anno 1783. ex improviſo de colli dolore & deglutitionis difficultate conqueri. Ab hoc vero incommodo, quae, Veneris pridem ſub ſpecie, rectiſſimo corpore incedebat puella, nunc caput iugulumque ad ſiniſtra inclinare, &, cum ab anginoſo affectu iam eſſet liberata, eodem tamen in ſitu retinere obſervabatur. Archiatri Spirenſis tunc munere adhuc fungens, vicinam Urbem adire aegrotamque in hac ipſa inviſere non potui: hinc *Bruchſaliam* a Patre amantiſſimo tranſmiſſa fuit puella, atque a me, quam accuratiſſime fieri poterat, examinata. Incommoda magna ex brevi licet itinere aegrota pertulerat, & de colli tenſione, ſub quovis rhedae motu, adaucta, conqueſta erat. Videbatur tamen famulae, acſi collum ab hoc itinere paullo rectius, quam ante illud, minuſque recurvum teneret Domina. Veſtibus haec ſpoliata, mox offerebat inflexionis cauſſam, genitori quidem & aſſiſtentibus non niſi poſt perpeſſam anginam, patefactam: colli nempe vertebrae binis in locis a recto tramite inflectebantur, atque ipſa quoque

dorſi ſpina, tribus fere locis, praeter morem, ad latus unum alterumve incurvabatur; quemadmodum in illis contingere videmus, quibus gibbos futuros ex talibus rudimentis praeſagimus. Illibata caeterum ſanitate virgo fruebatur, atque nonniſi ob ſtaturae priſtinae elegantiam nunc amiſſam, erat contriſtata.

Venit tunc haec omnia conſideranti, tamque ſubitaneam in oſſium directione factam mutationem ſtupenti, in mentem HIPPOCRATIS obſervatio dicentis: „ Erant anginoſorum affe-„ ctiones huiuſmodi: cervicis vertebrae ad in-„ terna converſae ſunt, aliis quidem plus, aliis „ vero minus: atque in partibus exterioribus „ manifeſta videbatur in cervice concavitas: do-„ lorem, laborans, ubi illic tangebatur, ſen-„ tiebat. Accidit etiam angina cuidam ſub ea „ vertebra, quam *dentem* nominant, verum „ non adeo acuta: quibuſdam vero ob rotun-„ ditatis magnitudinem omnino conſpicua, nec „ *bubones* (*). Fauces autem, ut ea vertebra, „ quae *dens* dicitur, inflammatione minime la-„ borabant, ſed moleſte afficiebantur. Ea, „ quae ſub genis erant, tumebant quidem; ſed

(*) Sic vocabat HIPPOCRATES phlegmones in glandulis tonſillarum ortas.

„ inflammatione laborantibus haud erant conſi-
„ milia. Nec *bubones* alicui tumebant, nec do-
„ lor cruciabat; ſed naturali potius habitu per-
„ manebant. Lingua haud facile convertebatur,
„ atque aucta ipſis videbatur atque exſerta.
„ Venae ſub lingua manifeſtae. Deglutire, niſi
„ magno cum labore, nequibant; at ſi quae-
„ dam devorare conarentur, per nares efflue-
„ bat id, quod ingeſſerant. Ex naribus loque-
„ bantur; ſpiritus ipſis non admodum elatus.
„ Nonnullis capitis, temporum, atque cervicis
„ venae attollebantur. Atque horum quibuſdam,
„ quibus dolores recrudeſcebant, tempora paul-
„ lulum calebant, quamvis alioquin non febri-
„ citarent. Plurimi non ſuffocabantur, niſi cum
„ vel ſputum, vel aliud quidpiam deglutire ten-
„ tarent. Neque ſubſidebant oculi, igitur *qui-*
„ *bus tumor non in alterutram partem deflexus*,
„ ſed rectus erat, nequaquam paralytici evade-
„ bant: horum ſi quempiam periiſſe mihi con-
„ ſtaret; id referre minime gravarer. Nam quot-
„ quot memoria nunc conſequi poſſum, omnes
„ ſuperſtites permanſerunt. Atque alii quam
„ *celerrime ſanitati ſunt reſtituti*. Alii non pauci
„ quadrageſimum diem praeterierunt. Inſuper
„ nonnullos febris non arripuit. Plurimis etiam
„ uſque in longum tempus, pars quaedam tu-
„ moris protracta eſt: cuius rei ſignum & a

Digitized by Google

„ deglutitione, & a voce ſumi poterat. Atque „ eliquatae quoque columelae malae ſignifica- „ tionis nuntium praeſtabant, quanquam nihil „ mali habere videbantur. At vero, quibus „ alterutra pars afficiebatur, ii ea parte, a qua „ vertebrae inclinatae erant, paralytici evade- „ bant, atque haec ipſa verſus alteram trahe- „ bantur. Porro huiuſmodi accidentia tum in „ facie, tum ore & ſepto, quod gurgulionem „ diſtinguit, evidenter deprehendebantur. Quin „ etiam inferiores genae pro ratione mutaban- „ tur. Caeterum qui paralytici ab angina fie- „ bant, iis non totum corpus, ut in aliis fieri „ ſolet, reſolvebatur; ſed uſque ad manum dun- „ taxat malum procedebat ab ea parte, quae „ angina urgebatur: atque ii concocta quae- „ dam, atque exigua, non ſine moleſtia exſpue- „ bant. Praeterea, quibus tumor in rectitudi- „ ne conſiſtebat, ii exſpuere poterant. At ii, „ quos febris quoque infeſtabat, longe maiori „ difficultate ſpirabant, ac inter loquendum „ ſcreabant, venae ipſis attollebantur, atque pe- „ des erant quam frigidiſſimi. Horum ſi aliqui „ non illico mortui ſunt, ii tamen erigere ſeſe „ haud quaquam potuerunt. Verum omnes, quot- „ quot equidem noverim, mortem obierunt (*)".

(*) HIPPOCRAT. de morb. populariter vagantibus L. II.

Adduxi vero tam longam ex HIPPOCRATE, morbi, poſteris vix unquam viſi, deſcriptionem, ut attentiores redderem Auditores Medicos, ſi unquam tam rarae aegritudinis rectius obſervandae nanciſcerentur occaſionem. GALENUS quidem, qui in praedictum HIPPOCRATIS textum commentatur, fatebatur, ſibi raro eundem fuiſſe viſum; neque ab hoc viro magno, novi alium, niſi SWIETENIUM, qui, poſtquam dubia contra HIPPOCRATIS opinionem attuliſſet, de anginae per luxationem vertebrarum cervicalium ſpecie inquit: „ contigit „ mihi ſemel tale quid videre in infante decem „ annos nato, cui caput retro inclinatum erat, „ guttur prominulum, & manifeſta in cervice „ cavitas apparebat; - nihil deglutire poterat „ infans, & poſt validas convulſiones hoc ma„ lum fuerat inſecutum (*) ".

In puella vero, cuius hiſtoriam enarravi, deerat certe *cavitas illa ad nucham*, atque dum collo dorſoque intortam examinarem, laterales quidem tumores ſpinae inflexae, neutiquam vero *excavationem*, quae de praegreſſa luxatione, ſine vitae imminenti periculo non eſxpectanda, teſtaretur, detexi. Neque *Paralyſis*, quod ſciam, vexaverat aegrotam, neque deglutitionis diffi-

(*) Commentar. l. II. §. 818. p. m. 704.

cultas in hanc uſque diem continuaverat: in quibus ergo omnibus differt mea ab HIPPOCRATICA, & demum a SWIETENIO facta obſervatione. Interim & HIPPOCRATES loquitur de *inclinatione vertebrarum* in unam, alteramve partem; neque paralytici fiebant, quibus deflexio non fuerat in utramque; dein, uti in mea quidem aegrota, haec ipſa comitabatur ab angina, & quemadmodum divinus ſenex plures *celerrime ſanari* conſpexerat, ita & puella, cuius morbum refero, ab hac ipſa per brevi tempore fuit reſtituta. Quidquid vero fuerit, mira certe eſt morbi oſſium a praegreſſa *angina* tam ſubitanea evolutio: atque tam diu vitioſam, quam a matre in haereditatem adquiſiverat, diſpoſitionem *rachiticam* in puellari corpore fuiſſe ſepultam. Pro hac enim ſtatum aegrotantis habui, cuius matrem optimam pectore valde deformatam & ab infantia *rachiticam* prius cognoveram. Conſului igitur remedia, quae in Rachitide proficua eſſe ſolent, atque praeſcripſi decoctum corticis peruviani cum balneis frigidis: quorum ope, praeter morem certe, tam brevi puella convaluit & ad priſtinum corporis decorem reducta eſt, ut dubitare debuerim, an natura magis, quae tam inopinatum morbum tam cito evolverat, an ars ipſa, ſpe omni citius, eundem revera curaverit.

Ad *Rachitidis* in adulto etiam homine productionem duobus exemplis confirmandam tranſeo, quorſum certe & ipſum illud, quod vix enarravi, iam pertinet. Unum quidem & ultimum, quod mihi offerebatur, in his ipſis terris fuit oblatum. Cum enim, ad viſitanda pharmacopolia, *Vareſiam* ante hos duos fere annos, iter facerem, conſpexi in Noſocomio eiuſdem loci conſpicui, foeminam quinquaginta fere annorum, quae pridem recto inſtructa longoque ſatis corpore, nunc ab aliquot annis ad *nanae* brevitatem reducta, lecto haerebat, brachia vero & pedes falcis in modum recurva, &, uti in Rachitide oſſa ſolent, contorta offerebat.

Atque haec certe ex *mollitie* oſſium praeternaturali veniunt, quae ſubinde & adultorum morbum conſtituit, & in infantibus rachiticis perpetuo fere obſervatur. Mollitiem oſſium adultorum *Rachitidis* ſpeciem offerre monuit & IOANNES HUNTERUS. Apud *adultos*, inquit, ad maius augmentum morbus venit, quam apud ipſos infantes: nam in his, ſumme arthriticis, ſemper aliquid terrae in oſſibus remanſiſſe vidi: cum in adultis adeo emollita viderim oſſa ex defectu terrae calcareae, ut tendinis inſtar eſſent flexilia (*). Oportet igitur HUNTERUM

(*) Journal de Médecine de Londres 1787. I. Part.

ſaepius, quam aliis licuit, hoc malum in *adultis* obſervaſſe: meretur igitur, quod mihi ſupereſt exemplum, hic breviter exponi.

Puella, forma elegantiori corporis donata, ſtaturae mediocris, multivagae Veneri inſerviens, a lue tandem venerea corripitur. In carcere detentae miſerae, vix partum expertae, ego, Civitatis tunc *Bruchſalienſis* adhuc Medicus Phyſicus adſtabam. Sed cura abſolvi vix poterat, eo quod condemnata criminis puella ergaſtulo mox includeretur ut pro ſana leges punirent, quam, ob morbum, duriori adhucdum ſententiae ſubtrahere ſine ſucceſſu conabar. Per quatuor ſic ultraque annos infelix, nefandos inter homines, vitam miſerrimam trahebat, vires indies magis magiſque adeo amittebat, & lecto demum egredi nequeuns, de libertate recuperanda deſperaret. Interea longitudo corporis continuo diminuebatur, collum humeris inſidebat; hi ipſi in alarum formam inſurgebant, pectus dorſumque in gibbos elevabatur, ſpina vertebralis, oſſaque ilia varios in giros contorquebantur, donec tandem ad infantis quadriennis fere parvitatem reducta, febre hectica conſumeretur infelix. Portabatur cadaver ad Theatrum Anatomicum, ubi ſectioni publicae a me fuit ſubiectum. Nullum fere ex oſſibus erat, quod cultri aciei reſiſteret. Pars oſſea coſtarum, ipſum-

que ſternum, quaſi lardum, abſque conatu omni, potuerunt diſcindi. Oſſa femoris acetabulo innixa, hoc idem cum ipſa pelvi ſurſum interiuſque adeo coarctaverant, ut diameter pelvis maior ſeu tranſverſalis vix pollicem cum dimidio adaequaret: ipſa vero pelvis, ſola manuum preſſione, pro voluntate, potuerit plicari. Hanc ipſam ergo, cum femorum oſſibus, parteque thoracis, Muſaeo Anatomico, quod *Bruchſaliae* inſtruere coeperam, commiſi, atque Ill. etiam RICHTERO, *Goettingenſium* Profeſſori Celeberrimo, dum Urbem illam petiiſſet, commonſtravi.

Evidenter haec ultima oſſium mollities ex venereo viru originem traxerat; ſed tot alii caſus exſtant, in quibus lui acceſſus ad oſſa nullus fuit, ut hanc ipſam nemo pro ſpecifica Rachitidis cauſſa declaraverit; neque facile aſſentiar illis, qui hunc ultimum morbum pro degenerantis ſyphilidis ſequela declarant.

Oportet caeterum non parvam in adultis, qui tardius tandem Rachitide corripiuntur, ab ipſa forte infantia, aut ab haereditate etiam, fuiſſe *diſpoſitionem*. In quo haec conſiſtat, quidve oſſi, iamiam duro, cartilagineam denuo, vel plane ceream reddere poſſit mollitiem? id, in oſſium morbis rectius iudicandis parum adhuc provecti, omnino ignoramus. Venereum certe

virus, ut nodos ad oſſa & exoſtoſes producat, videtur prius aliquam, eo in loco, in quem potiſſimum agit, mollitiem fibrarum oſſearum producere, ſed in totum oſſium ſiſtema *emolliendo agere*, neque huic cauſſae commune admodum eſt, neque ſpecificam ſibi materiam videtur exigere (*).

(*) Iuvat his exemplum addere, quod Viri doctiſſimi, D. AUDIBERTI, celebris apud *Taurinenſes* Chirurgi, datis ad me litteris amiciſſimis, cum typis illa mandantur, debeo. „ Naples, le 6. Mag. 1788. J'ai eu occaſion de voir á l' Hôpital de *Piſe* un ramoliſſement preſque général des os, qui n' étoit pas moins ſingulier de celui de la Femme Supiot, dont Monſieur MORAND nous a donné la deſcription dans les mémoires de l' Académie des Sciences pour l' année 1753. La Femme, qui ſe trouvoit dans cet état pitoyable, étoit agée de 55. ans: elle étoit née dans un endroit ſalubre, étoit mére de 6. enfans, & mariée á un homme ſain & robuſte depuis 24. ans. Elle avoit toujours joui d'une parfaite ſanté, & avoit toujours été bien reglée juſqu' au terme de la ceſſation de cette évacuation périodique. Il y avoit onze ans, que trois jours aprés s' être heureuſement delivrée d'un enfant encore vivant, & aprés avoir abbandonné ſon lit, & ſa Chambre pour conduire au paturage une Bête á corne, elle avoit d' abord éprouvées des douleurs lancinantes á la tête, qui l' avoient obligée de ſe recoucher, & enſuite une forte fiévre, qui dura trois jours, ſans que les douleurs de tête la quittaſſent: au contraire elles perſiſterent á la tourmenter pendant huit jours environs. Les vuidan-

Sed ne in alias hic quaeſtiones deſcendam, & a ſcopo, qui, paucas tantummodo obſer-

ges continuerent çependant á couler pendant l' éſpace de vingt jours, & elle ne ceſſa d' alaiter ſon enfant. L' allaitement fut heureux, & dura deux ans environ. Quelque tems aprés elle commença à reſſentír des douleurs au reins, dans les épaules, dans les bras, avantbras, cuiſſes, & ſur le dos du pied. Ces douleurs continuerent jour & nuit ſans une difference notable; de la difficulté, & enſuite impoſſibilité de marcher, de ſe ténir de bout, de reſter aſſiſe, & enfin de filer. Les douleurs dans les bras étoient lancinantes, & s' augmentoient au moindre attouchement. Elle prit alors les bains chauds de *Piſe* pour l' éſpace de 20. jours, qu'on lui avoit conſeillés dans la ſuppoſition, que ſa maladie étoient des rheumatiſmes ſecs, parceque les parties affectées n' etoient point enflées. Mais aü lieu de retirer de ces bains quelque ſoulagement, elle s' en trouva pis. De retour ches elle, elle redévint enceinte, & au terme ordinaire de la groſſeſſe elle accoucha d' un enfant bien portant, qui véçut dix mois & mourut de convulſions. Les vuidanges eurent auſſi leur cours ordinaire cette fois là, & elle allaita ſon enfant, étant çependant obligée de le faire maillotter par une autre Femme, á cauſe des douleurs, qui perſiſtoient toujours á la tourmenter. Huit jours aprés l' accouchement, elle ſe leva, & quitta ſon lit aidée par deux perſonnes, qui la ſoutenoient, dans l' eſpérance, que les couches auroient emporté ſes douleurs. Mais les choſes n' ont point changé de face pour l' eſpace de trois ans, au bout des quelles elle s' apperçut, que ſes os, ſurtout ceux des bras & des cuiſſes étoient devénus mols, & courbés. Pour

vationes de *Rathitide* exponendi, mihi fuerat, aberrem, alterum Orationis meae finem nunc proſequar & ad Vos me convertam, Viri Iuve-

---

vous faire une idée juſte de la maniere, dont les os de cette Femme ſe ſont courbés, vous n'avés qu'á recourrir, Monſieur, á la planche, que Monſieur MORAND a fait graver d'aprés nature pour repréſenter la Femme Supiot. Aprés l'époque du ramolliſſement, & de la courbure des os, les douleurs ont toujours continué ſans aucune différence notable juſqu'au commencement de cette année, qu'elles ſe ſont un peu appaiſées. Elles prennent cependant de tems en tems de l'accroiſſement, ſurtout lorſq'on remue la malade pour la changer, & elle dit qu'elle s'apperçoit alors d'une ſenſation, qui repréſente aſſés bien le bruit d'une Canne, qu'on caſſe. Il n'y a aucune raiſon pour ſuppoſer, qu'elle ſoit attaquée de vérole, ni ſon mari non plus. Elle va aſſés bien á la ſelle; mais elle eſt obligée de rendre ſes urines á chaque inſtant. Comme elle ne peut pas piſſer dans un pôt, on n'a jamais pu en recueillir une certaine quantité pour l'examiner de prés. Elle s'eſt presque toujours nourrie de végétaux, & n'a preſque jamais mangé de la viande, ni bu du vin á cauſe de ſon état d'indigence. Il y a á préſent un an qu'elle eſt dans l'Hôpital de *Piſe*. Elle n'avoit point de ſoif, lorſque je l'ai vue, point de douleur de tête, elle avoit ſon eſprit trés libre, elle mangeoit aſſés bien, buvoit du vin, & diſoit d'avoir pris de l'embonpoint. Sa langue étoit humide, & d'un belle couleur, & ſes pouls étoient égaux & battoient 68. fois dans la minute,

nes, qui laborum metam attigiſtis: ad Vos nempe, VINCENTIUM MAGRI, ex *Soncino*, ALOYSIUM BUCCELATI *Montebeccarienſem*, & ANTONIUM DE BLASI *Tyrolenſem*. Vos in examine rigoroſo laborum veſtrorum honorificam reddidiſtis rationem, & artis nobiliſſimae Magiſtros Vos declaravit Academia. Huius exſpectationi Vos correſponſuros eſſe, omnia promittunt. Non fallite! Rem arduam tractatis, membra, vitam, Concives Vobis homines committent. Quid honoris hac ſit in fiducia, reſpicite; maiora committere non poſſent, qui ex manibus Veſtris opem ſunt imploraturi: augete diligentiam, induſtriam; conſulite, dum dubia Vos prement, veteranos in arte Viros, & cum quotidiano ſcientiae Chirurgicae incremento pari paſſu incedite. Qui hodie vir doctus adpellari meretur, poſt paucos annos (tam celeriter creſcunt in arte tum Medica, tum Chirurgica Obſervatorum per omnem nunc Europam diſtributorum experimenta utiliſſima) niſi ſuſceptum ſemel laborem ultro continuet, ignorantiae non immerito inculpabitur. Ingenio, ſi felicius Vobis natura dedit, ne nimium confidatis: neminem hoc a laboris neceſſitate in rebus Medicis excuſat, ut quae non imaginationis poeticae ſaltantiſque ſpiritus, – ſed obſervationis lentae, & profundae reflexionis producta ſiſtunt. Valete!

IUSTI ARNEMANN D.

IN ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA PROFESSORIS MEDICINAE PUBL.

COMMENTATIO DE APHTHIS,

QUAE

AB ILL. REG. SOCIETATE MEDIC. PARISIENSI

XXV. AUG. MDCCLXXXVII.

PALMAM ALTERAM OBTINUIT.

Goettingae 1787.

INTRODUCTIO.

SI negari nequit, immenſum eſſe morborum agmen, qui in cutem deſaeviunt, cauſſaſque eorum, & nocendi formas multo magis variabiles, & numero forſan plures reperiri, quam

Google

in alio quovis organo: cum & latiſſime pateat, & omnia fere acrium genera valeat ſuſcipere, atque inflammationum ſpecies vehementiſſimas concipere pariter & evolvere; haudquaquam tamen vereor pronunciare, morbos hoſce univerſos eiuſdem fere generis eſſe, & ab una eademque cauſſa produci.

Si enim vitia quae in cutem decumbunt praecipua paullum examinemus, facile erit intelligere, a ventriculi regione mali fontem ſcaturire, viciſſimque primae regionis affectiones, & humorum vitia in cute pingi atque ſoboleſcere; – quamvis ingenii humani curioſam fugiat indaginem, cur eadem illuvies modo encephalon turbet, modo pulmones tuſſe concutiat, nunc miliare, nunc ſcarlatinum, nunc aphthoſum, nunc urticatum, nunc petechialem gignat exanthema?

Nulla vero cutis alterationibus omnimodis recipiendis, apta pariter aetas nata eſt ac infantilis. Abundat enim aetas haec humoribus lymphaticis, & ex muco tota coagulatur & compingitur. Bilis infantum a leviſſima quacunque cauſſa vitium aſſumit, iners ac virideſcens evadit, & mucoſa haeret. Alimenta in ventriculo fermentationem facile ſubeunt, hinc infantile corpus fermentatam maſſam, totum quantum eſt, redolet, & ſic ſponte

na-

naſcitur acor, qui, bene obſervante GUALTH. HARRIS, *maximam infantilium morborum partem conſtituit. Omitto ſecretorum, excernendorum & diaetae vitia. Quid miramur itaque tot phlyctaenarum, papularum, puſtularumque monſtra, tot cruſtarum, mucoſorumque effluviorum genera, tantamque cohortem malorum, lactuminum, achorum, tineae, porriginis, impetiginis, cruſtae lacteae, aphtharum rel. feraci proventu hac in aetate eﬄoreſcere! –*

Non vero totum morborum cutaneorum, infantiliumque ambitum hic complectar – paucis tantum indicendum erit, quem in finem, & qua ratione haec ſcripta ſint. Etenim propoſita fuit ab Ill. Societate Medicorum Pariſienſi quaeſtio, qua evictum iri voluit, quaenam inferendis, promovendis acuendiſque Aphthis cauſſae ſint praecipuae, quaeque geneſi illarum maxime faveant: dein ſubiungantur ſymptomata, morbique notio ſolis obſervationibus abſtrahenda, & medendi praecepta (*).

(*) Rechercher, quelles ſont les cauſes de la maladie aphtheuſe, connue ſous les noms de Muguet, Millet, Blanchet, à la quelle les enfans ſont ſujets, ſurtout l' orſq' ils ſont réunis dans les Hopitaux, depuis le prémier jusqu' au troiſiéme mois de leur naiſſance; quels en ſont les ſymptomes, quelle en eſt la nature; & quel doit en être le traitement ſoit preſervatif, ſoit curatif?

Cui poſtulato ut pro viribus meis ſatisfacerem ſingulam, Aphtharum ſpeciem, quarum tres ſaltem conſtituere placuit, ſeorſim pertractavi. In tres itaque Sectiones Commentationem meam dirimere commodum videbatur, quarum prima Aphtharum ſpeciem vulgarem, idiopathicam vel infantilem, – altera Aphthas malignas Noſocomiorum, Corotropheorum & Orphanotropheorum (ſolent enim orphanorum puerorum puellarumque morbi maius ſemper periculum inducere) tertia denique Aphthas adultorum ſ. ſymptomaticas comprehendit: – ne vulgare fere omnibuſque Aphtharum Scriptoribus commune vitium committerem, qui, haud interrupto verborum flumine, Aphtharum varia ſymptomata, & medendi methodum ſubinde enarrando, rem confundunt, ut, quae ſymptomata infantibus, quae vero potius adultis competant, & quaenam eligenda ſit medendi ratio, lectores dubii prorſus haereant.

Aliorum deinde praeclare obſervata examini ſubieci, cum meis obſervationibus contuli, firmavi, & quid ipſe viderim, & quam ipſe ſortem in ſanandis Aphthis, quantum adhucuſque licuit, ſim expertus, narro.

Dabam in Academia Georgia Auguſta d. XXIX. Septembr. 1787.

Digitized by Google

SECTIO I.

DE

APHTHIS INFANTUM IN GENERE.

Aphtha SAUVAG. Gen. 100. LINN. 9. BOERH. 978. HOFFM. II. 478. IUNK. 137. SAGAR 10. CULL. 33. DANIEL 40.
Febris Aphthoſa VOGEL 44. SELLE 161.

§. I.

Aphtharum antiquitates.

HIPPOCRATIS & GALENI temporibus, Aphtharum nomen in genere proprium fuit ulcuſculis inaequalibus, plerumque ſolitariis, toto ambitu rubris, in medio macula alba flaveſcente notatis, variis corporis locis cum inſigni dolore ſubinde emergentibus (*a*).

Deinde Aphthas proprie dixerunt ulcuſcula, in ore & faucibus ſolummodo effloreſcen-

(*a*) HIPPOCRAT. Aphoriſm. XXIV. Sect. 3. de morb. L. II. c. 18. GALEN. Commentar. III. L. 13. Epidem. III. GRUNER Bibliothec. T. II. pag. 419.

tia, recens natorum & infantum tenerae aetati quam maxime infeſta.

CELSUS ſerpentia oris ulcera vertit Aphtharum graecum nomen (*a*).

IULIUS POLLUX Aphthas vocat exulcerationes & abſceſſus, ſuperficietenus linguam, vel paryſthmia, vel uvulam, vel guttur dealbantes, infantibus maxime familiares (*b*).

Eadem fere deſcriptio legitur apud AETIUM (*c*), ARETAEUM (*d*), FORESTUM (*e*), PAULUM AEGINETAM (*f*), AMATUM LUSITANUM (*g*), qui primus eas *Lactumina* vel *Lactucimina* nominavit, SENNERTUM (*h*), ETTMULLERUM (*i*), WEDELIUM (*k*), IUNCKERUM & alios.

BOERHAAVIUS, quem recentiores fere omnes ſecuti ſunt, Aphthas dixit parva, rotun-

---

(*a*) De Medicina L. II. c. 2.
(*b*) Onomaſtic. L. IV. c. 24.
(*c*) Tetrabibl. II. Serm. I. 39.
(*d*) De cauſſis & ſignis morbor. acutor. L. I. c. 9.
(*e*) Schol. Obſervat. L. XIV. c. 21.
(*f*) De re Medic. L. I. c. 10.
(*g*) Curat. Medicinal. Cent. V. pag. 326.
(*h*) Prax. Med. L. II. c. 18. Tractat. de curat. infant. c. 13. pag. 2.
(*i*) Prax. Med. Part. II. pag. 216. 603.
(*k*) De morb. infant. pag. 18. Exercitat. patholog. therap. pag. 118. RIVER. Prax. Med. L. VI. c. V. pag. 288.

da, ſuperficiaria ulcuſcula, os internum occupantia (*a*).

§. II.

Aphtharum definitio.

Variae certe ſunt Auctorum hactenus a me recenſitorum definitiones, ut quem potiſſimum ſequi velimus, haereamus utique. Ponderatis enim rite opinionibus Aphthae neque ulcuſcula, neque exulcerationes, neque etiam puſtulae generatim vocari queunt. Puſtularum nimirum conditio exigit, ut in apice ſuppurentur, vel in pus abeant, quod vero rarius fieri ſolet; & ſimiliter ulcuſcula dici non poſſunt, quia verum pus in ipſis non reperiatur, ſed ſeroſa potius colluvie ſcateant (*b*).

Sunt vero Aphthae *tumores* albicantes, aut ad cineritium colorem vergentes, ſuperficiarii, rotundi, diametri exiguae, ut milii aut cannabis ſemen magnitudine vix excedant, ſeroſo quodam liquore referti, in ſquamas denique furfuraceas abeuntes, acriter dolentes.

(*a*) Aphoriſm. §. 979.
(*b*) SLEVOGT Diſſ. de Aphthis Ienae 1706. DIEZ Diſſ. de Aphthis. Erfordiae 1771.

Neque tamen heic loci negare animus eſt, Aphtharum genus, ulceroſarum nomine inſiguiendum, plane non exiſtere. Verum hae vulgares adeo non ſunt, & meliori iure malignis, ſive ſymptomaticis annumerantur, de quibus infra.

§. III.

Morbi ſedes.

Solent plerumque Aphthae per omnem ſuperficiem internam oris, labiorum, gingivarum, linguae & palati prodire, ubi cryptulae mucoſae adſunt numeroſiſſimae, quae humorem quendam tenuem lubricandis his partibus eructant. Atque tum fieri videntur Aphthae, dum ille humor ſolito lentior redditus, per ultimum horum emiſſariorum finem propelli nequit, ſed ibi haeret, & extremum talis vaſculi obturat; interim a tergo urgentis liquidi vi elevatur ultra ſuperficiem extremum canalis obſtructi, atque ſic *tumorem* producit, quem *Aphtham* vocamus (*a*).

Non vero unice has partes occupant, ſed in oeſophago, ventriculo, inteſtiniſque etiam ſedem figunt.

(*a*) VAN SWIETEN Comment. in BOERH. Aphor. T. III. pag. 189.

Videmus ſimiles cruſtas per alvum prodire atque excerni, & quidem tanta copia, ut nullo modo cruſtis talibus deglutitis id tribui poſſit, quae ex faucibus & oeſophago deciderant. KETTELAER Aphthas tanta adeo copia per aliquot dies ano & ore reiectas vidit, ut pelves aliquot illas vix caperent (*a*). Inventa ſunt etiam in ſectionibus cadaverum Aphtharum veſtigia, inteſtinorum lateribus adhaerentium, ut nullo modo dubium eſſe poſſit, Aphthas quandoque per totum inteſtinorum tractum dividi.

§. IV.

Signa eruptionem praecedentia. Eruptio ipſa.

Morbus maxime occurrit in infantibus, interdum etiam aetate provectos & ſenes adeo infeſtat. Nulli aetati ſexuique parcit. A potiori tamen neonatis & infantibus adhuc lactantibus familiaris eſt, quare etiam Ill. DE SAUVAGES propriam infantilium Aphtharum ſpeciem *Aphtham Lactucimen* conſtituit (*b*).

Tradidit BOERHAAVIUS Aphthas borea-

(*a*) Commentat. de Aphthis pag. 15.
(*b*) Noſologia methodica T. II. p. 432.

lium terrarum incolas, paludoſa loca inhabitantes, maxime corripere, tempeſtate plerumque humida, vel calida pluvioſa. Et experientiae res eſt, in calidis regionibus, & ſub feliciori caelo Aphthas vel omnino non, vel raro occurrere: hac forſan ratione, quod, cum in calidis regionibus rarior ſit corporum humanorum compages, & ad diaphoreſin & ſudores magis proclivis, ibi etiam in morbis per ſudores ſaepe diſſletur materia, quae ſub humidiori & frigidiori caelo, & in corporibus non adeo in ſudorem pronis interiora petat, morbum effectura. Haec etiam cauſſa ſubeſt, quare locis humidis, maritimis v. g. maris mediteranei depreſſis oris, inſuliſque lacuſtribus & paludoſis prodigioſa morborum cutaneorum vis incumbat. Obnoxii ſunt morbis cutaneis Britones, Picardi, Flandri, Batavi (*a*). Hinc in Zelandia aquis undique cincta, adeo frequentes Aphthae ſunt, ut endemium morbum illius loci dixerit KETTELAER, praeſertim auctumno. Alii ſingularem inde finxere Aphtharum ſpeciem; quam *Belgicam* vocarunt (*b*).

(*a*) LORY de morbis cutan. pag. 34. al. HIPPOCRATES inter alia mala, quae tempeſtatem anni auſtrinam, humidam & mollem ſequebantur, recenſet ora aphthoſa, pudendorum tubercula, ophthalmias, anthraces, alvos perturbatas, ciborum faſtidia *Epidemicor* L. III. c. 24.

(*b*) DE SAUVAGES l. c. pag. 435.

KETTELAER Aphthas criſi fruſtranea & imperfecta prodire credidit, eaſque criſibus etiam annumeravit (*a*). Raro tamen criticis diebus, & cum inſigni morbi levamine prorumpere ſolent. Si vero criticae ſunt, id unice in adultis contingit, plerumque tamen ad inſtar criſeos lentae & infidae aliquando ſuperveniunt vel ſuccedunt (*b*).

Interdum idiopathice, ex vitio quodam commiſſo, abſque ullo morbo alio ſurgunt. Ut plurimum tamen ſymptomatice ſupervenire ſolent adultorum, & praecipue infantum adfectionibus, quibus ita familiares ſunt, ut primis a nativitate ſeptimanis cuilibet, vel leviſſimae cauſſae ſe adſocient mites ſatis & benignae.

Quae vero morbum antecedere ſolent ſigna, unde malum imminens augurari queas, haec ſunt: Infantes paullo ante bene ſe habentes ac laetabundi nutricis mammam reſpuunt, vel lac ſugere nequeunt, anxii ſunt, inſomniis vexantur, a ſomno ſaepius expaveſcunt, diu noctuque eiulant. Marceſcit interea totus corporis habitus, pallet facies, adſunt ſingultus & diarrhoeae acidae, male olentes. Lac interdum grumoſum per alvum ſecedit: vidi etiam ſaepe vo-

(*a*) L. c. p. 19.
(*b*) VOGEL de cognoſc. & curand. morb. C. H. pag. 119.

mitu reiectam bilem porraceam. Os dein internum inflammatur, lingua exaſperata eſt, & veluti aculeata. Anima fervet. Papilla ori immiſſa, nutrices ardorem oris infantis mordentem ſentiunt. Pulſus frequens eſt, ſolet etiam febricula adeſſe, quae vero in nuper editis infantibus non ſemper obſervatur. In adultis haec ſymptomata numeroſiora ſunt, & graviora, de quibus infra loco ſuo ſermonem faciam.

Inter haec ſigna primo hinc illinc elevatur cuticula, effloreſcunt Aphthae in lingua, in labiorum angulis, in faucibus & alibi, ſine ulla certa conſtantia loci primi: ſimulac autem prodierint, ſtatim liquore quodam tenui implentur.

Aliquando, teſte BOERHAAVIO (*a*) apparent in imis faucibus, adſcendente quaſi ex oeſophago cruſta alba, denſa, ſplendente, inſtar recentis lardi tenaciſſime adhaerente. Aliquando duris, craſſis, denſis, tenacibus cruſtis totum cavum oris ubique uſque ad extrema labiorum obſident, omnia tegentes ſimul.

§. V.

Color Aphtharum.

Quod ad coloris diverſitatem attinet, haec

(*a*) Aphoriſm. §. 984.

Digitized by Google

ſolet eſſe valde varia. Plerumque color albus eſt, vel pellucidus, margaritarum inſtar, quando ſparſim effloruere Aphthae: contra vero flavus, bruneus vel opacus ubi denſo agmine partes occuparunt & concretae ſunt. Mutatur etiam color per ſucceſſivos gradus; prout ſuperficies ipſa magis augetur & ſpiſſior fit vel ſenſim exſiccatur.

Optimae natae ſunt Aphthae albae, pellucidae, huc illuc ſparſim eruptae; diu non haerentes neque valde dolorificae. Peiores ſunt flavae vel fuſcae, cineritiae, confluentes, tenaciſſimae. Peſſimi ominis habentur lividae, atropurpureae & nigrae. Dubitandum autem videtur, an vere unquam noſtro ſub caelo nigrae prodierint (*a*). Negavit etiam generoſiſſimus VAN SWIETEN, ſe illas unquam tales ab initio obſervaſſe, neque unquam tales me vidiſſe memini. Si autem nigreſcunt, id circa mortem fieri ſolet, & ſemper gangraenam ſignificat (*b*).

Pendet etiam coloris diverſitas quoad maximam partem ex duratione morbi, an diu hae-

(*a*) LORY Aphthas nigras apud Africanos obſervari auctor eſt. De morbis cutaneis pag. 32. SLEVOGT l. c. pag. 95.

(*b*) VOGEL l. c. pag. 121. MELLIN pag. 110. BUECKING in Ill. BALDINGERI neuem Magazin für Aezte B. VI. St. III. pag. 193. ſeq.

Digitized by Google

ſerint cruſtae aphthoſae antequam factae ſint deciduae?

Aphthae coerulae, lividae quas PECHLINUS deſcribit, certe nil niſi maculae ſcorbuticae fuerunt (*a*).

§. VI.

Tempus durationis. Mala inde oriunda.

De tempore, quouſque perdurent Aphthae, certi quidquam ſtatui nequit. Aliquando unius diei, duorum, trium vel etiam plurium ſpatio decidunt, prout cauſſa morbi levis, vireſque corporis fuerint ſatis validae. Aliquando intra duodecim horas Aphthas ſeparari vidi, aliquando vero per plures dies manebant firmiſſime adhaerentes. Diſparent interdum & denuo prodeunt.

Simili ratione locus determinari nequit, ubi prima cruſtae aphthoſae ſeparatio contingit. Alii putant in ventriculo cruſtam prius cadere, alii in inteſtinis, quippe cum a deglutitis potulentis, aliiſque inteſtinorum contentis emolliatur continuo.

Magna ſane ſunt incommoda, eaque quam

(*a*) Obſervat. L. I. Obſ. 17. pag. 188.

Digitized by Google

maxime moleſta, quae ex cruſta tali aphthoſa totam oris inteſtinorumque ſuperficiem tegente originem trahunt. Vaſorum emiſſaria undique obturata ſunt, hinc ſapor omnis ſublatus, rigeſcunt ob humorum defectum labia, lingua, buccae. Obturata vaſa materia ſtagnante turgent, hinc dilatantur partes, oritur tumor faucium & laryngis inflammationis periculum inducens, quin adeo materia morbifica urgente ſimul febre partes erodit, & putredinem minatur. Omitto varia digeſtionis vitia.

Exſiccatis tandem cruſtis & deciduis novum adhuc imminet periculum. Vaſa dilatata maiorem humorum copiam nunc tranſmittunt, unde ſalivatio copioſa ſequitur, interdum adeo ſanguinolenta. Inteſtinorum latera excoriata ſunt, unde diarrhoeae & dyſenteriae oriuntur, cibuſque molliſſimus deglutitus, vel remedia ipſa dolores convulſivos diriſſimos & ſingultus provocant.

§. VII.

Prognoſis generalis.

Certam vero ſalutem ſperare fas eſt, ubi deciſis iamiam cruſtulis nulla amplius ſequatur nova eruptio, loca bene humectata ſint, coloris rubicundi, ſymptomata mitigata, & morbus decreſcat. Sin autem ſiccus apparet locus Aphthis

iam deciduis, vel in terſa partium oris interni ſuperficie appareant punctula minima albicantia (imprimis ſi per lentem luſtrentur haec loca) tunc brevi denuo prodire ſolent.

Interdum locus non omnino ſiccus apparet, ſed tenuiſſima alba tela (ut SWIETENII verbis utar) vel mucilagine tenui flaveſcente obductus. Tunc inde colligimus vires adhuc ſufficere ut materiae morboſae fiat expulſio. Vidi Aphthas quinquies effloruiſſe antequam omne noxium expulſum fuerit. KETTELAER ſexies ſeptieſve renatas vidit, & ſaepius adeo Ill. VAN SWIETEN.

Quandoque etiam aliquot dierum intervallum ſolet intercurrere, antequam Aphthae deciduae emergant iterum: tunc vero locus non humeſcit penitus, ſed plerumque ſomnolentia, anxietas, aliaque ſupra memorata ſigna remanere ſolent, quae malum imminens portendunt.

In tanta igitur effectuum diverſitate & congerie ſymptomatum, noſſe iuvat etiam an ſolitariae ſint Aphthae & diſcretae, an vero totus oris inteſtinorumque ambitus impletus? Quod vero cognitu difficillimum. Saepe enim obſervavi & in teſtimonii fidem trahere liceat Ill. STARKE (a) Aphthas in ore & faucibus rare

(a) L. c. pag. 145. ſeq.

admodum comparuiſſe, dum in interioribus denſiſſime haererent. Nullius momenti habendae ſunt Aphthae, quae praeter labia partes nullas alias dehoneſtarunt (*a*) magis timendae, quando totum inteſtinorum tractum ſimul occuparunt, quod ex torminibus, cardialgia, diarrhoea, caeteriſque ſignis facile patet.

Boni ominis eſt ubi cito cadunt Aphthae, vel ſi novae renaſcantur, brevi denuo ſecedant. Notant enim haec morbi materiam copioſam quidem, ſatis tamen mobilem adeſſe, vires vitae eſſe integerrimas, iuſtamque medendi methodum adhibitam fuiſſe. Maius autem periculum indicatur, ubi tarde cadant, ſed aeque denſae ac priores, vel etiam nonnumquam adhuc denſiores renaſcantur, quod materiam morbi indicat copioſiſſimam; unde haud vanus metus eſt, vires corporis ad expellendam hanc materiam, eandemque eliminandum vix ſufficere, eoque facilius morbo ſuccumbere.

Ubi autem longum intercurrit intervallum inter Aphthas reciduas & renaſcentes, tunc inde colligimus partem tantum materiae morboſae ſubactam eſſe, morbum hinc diuturnum, pluri-

(*a*) WINTRINGHAM de morb. quibuſdam Commentar. pag. 27. ROSENSTEIN Kinderkrankh. pag. 28.

buſque recidivis obnoxium futurum eſſe aegrum; antequam omnis eliminetur materia. In genere tamen fere ſemper in infantibus levis eſſe ſolet morbus, plus moleſtiae quam timoris afferens. Ferocius longe ſaevit in adultis.

§. VIII.

Aphtharum geneſis, cauſſae generales.

Hiſce quaſi ad praeliminia poſitis; iam ad propoſitam quaeſtionem propius accedo, Aphtharum cauſſas generales nunc ſciſcitaturus.

Omnes quidem cauſſae, omnes morbos producere poſſunt, ut cum HIPPOCRATE loquar, ſed hae tamen illos potius quam alios. Id enim in cauſſarum ſcrutinio ſummopere attendendum eſt, ne ſectemur ea quae nimis univerſalia ſunt, & ad detegendam atque enodandam cauſſam proximam, morbumque ſublevandum ideam nullam ſuppeditant.

Morborum equidem cutaneorum atque exanthematum (quibus ſine dubio Aphthae annumerandae) luſus ſunt mirifici, & innumerae varietates accidentales: cauſſae tamen, experientia demonſtrante, re ipſa ad unam eandemque naturam referuntur. Quivis enim lectulis aegrotorum frequenter adſtans attentuſque ſpectator

tenet,

tenet, quanti figura exanthemati cuidam propria habenda ſit, licet inde nomen ſuum acceperit — ut plane nullam mereatur attentionem, dummodo febris comitis cauſſaeque proximae ratio habeatur.

Iam vero omnis aevi commenta a divo ſene HIPPOCRATE ad noſtra uſque tempora in eo conſentiunt, quod primarum viarum impuritates cum exanthematibus morbiſque cutaneis ſemper ſociatae ſint: atque pariter ad vitiandam cutim multimode conferre poſſe, quotidiana experientia confirmatum videmus. Fingas etiam exanthemata phlyctaenaſque abeſſe, nonne ſymptomata plane eadem ſunt quae in febribus gaſtricis vulgo obſervari ſolent?

Materies impura vere plerumque & auctumno evolvitur, hinc maior etiam eo tempore corporum ad exanthemata propenſio; atque ut in Aphthis ſubſiſtam, his anni temporibus, teſtante BOERHAAVE, KETTELAER aliiſque, Aphthae haud raro epidemice graſſari ſolent.

Signa praeterea Aphtharum eruptionem praecedentia (§. IV.) & ſocia ſymptomata ſat ſuperque declarant, mali noſtri fomitem in primis viis unice quaerendum eſſe, communi omnium cutis exanthematum ſcaturigine. Indicant Aphtharum ex abdomine originem nauſea, vomitus, diarrhoeae male olentes, faecum color viridis,

mucus & colluvies ovorum albumini quandoque non abſimilis. Quin adeo praedixit Cl. OOSTERDYCK futuram Aphtharum eruptionem ex anxietate, pondere ſtomachi, ſenſuum confuſione ſomnolentia, ſingultu, tuſſicula ſicca & frequenti ſcreatu (*a*). Haec trita adeo atque vulgo nota ſunt, ut quam plurimis fortaſſe actum agere viderer, ſi diutius his inſiſtere vellem.

Analogiam denique ſi ſpectemus, Aphthas affectionibus ſtipari ſemper inveniemus, quae primarum viarum impuritatibus exordia ducunt. Sic ut alia taceam, praecipue miliaria Aphthas comitari ſolent; ut adeo materiem aphthoſam & miliarem eandem eſſe iudicaret b. STOLLE rebus medicis nimis praematura morte ereptus (*b*).

In hoc verſatur etiam tota fere medendi methodus. STOLLIUS febrem miliarem, petechialem, ſcarlatinam, urticatam, eriſypelatoſam, aphthoſam cet. matura ventriculi & inteſtinorum evacuatione praevertit, morbumque repente in incunabulis enecuit. Perturbata alvo, ut ut pauca ſubducantur, delentur faciei exan-

(*a*) Praecept. medic. practic. Lugdun. 1773. p. 113.

(*b*) Rat. medendi T. II. pag. 167. in miliaribus plura obſervantur Aphthis ſatis ſimilia, exſiccantur, decidunt, renaſcuntur, ſimiliter HAMILTON de febre miliari pag. 71.

themata : & experientiae res eſt , exanthemata totum corpus obſidentia una emeſi feliciter ſublata eſſe , cuius hiſtoriam valde memorabilem DIKSON tradidit (*a*) . Videtur itaque diatheſis quaedam , ſeu fomes peculiaris , exanthematibus gignendis aptus , ſanguini ineſſe , qui ab inteſtinis egreſſus , ad cutim nunc tendit . Nonne vero ex hiſce & ſupra memoratis ſignis colligere licet , Aphthas plerumque prius haerere in oeſophago & ventriculo , antequam in faucibus appareant ? –

§. IX.

Ulterior cauſſarum expoſitio.

Variis vero inquinamentis , & vario modo contaminari neonatorum infantumque abdomen ſat ſuperque liquet ; dummodo liberorum (ne dicam egenorum) educationis rationem habere velimus . Vitia autem haec , ut vulgo committi ſolent , abunde perſtrinxere viri longe Celeberrimi CAM-

(*a*) In Medical Obſervations and Inquiries Vol. II. p. 313. plura exempla commemoravit Cl. WELTI in Diſſ. Exanthematum fons abdominalis, Goettingae 1784.

PERUS, UNZERUS, LOCKIUS, SCHULZE, PORTENSCHLAGER, RAULIN, CLARKE, BLAKAY, BALLEXERD, KRUGER, BROUZET, DESESSARZ, aliique de liberorum educatione phyſico-medica Scriptores, ut illa paucis tantum attigiſſe, quatenus ad ſcopum meum ſpectat, ſufficiet.

I. In horum numerum primo loco merito neglectam in neonatis primarum viarum evacuationem refero.

Oeconomia foetus utero incluſi ita comparata eſt; ut in inteſtinorum tractu faex quaedam fuſca, ſubviridis, tenax, & unguento ſimilis ſecernatur. Dedit itaque natura provida in matrum mammis coloſtrum, uti convenit inter omnes, quod pro ſua inſita virtute meconium educat & neonatorum inteſtina purget.

Videmus hinc infantes quibus denegatum eſt coloſtrum, diriſſimis torminibus, motibus ſpaſticis & convulſivis a primis iam unguiculis excruciari. Atque haec ſymptomata Aphtharum eruptionem praecedere ſolent.

Contentae nunc in inteſtinis meconii reliquiae haud ſatis evacuatae, lac corrumpant: hic acrimonia in ventriculo, cruditates, atrophia rel., ingenſque muci ſat tenacis copia haerere incipiet in vaſorum extremis (§. III.) Aphthis gignendis idonea.

II. Deinde huc pertinent cauſſae omnes, quae generationi colluviei cuiuſdam favent. Res ſex non naturales pariter expendendae ſunt.

Matres ut plurimum infantibus lac praebent quoties vagiunt, intempeſtiva & perverſa ſane methodo. Verum enim vero rariſſimo caſu fame vexantur quando vagitus edunt infantes; ſed plerumque faecibus alvinis aut urina arroſi, vel inteſtinorum torminibus correpti ſunt. Tanta itaque nutrimenti copia ſubinde obrutus ventriculus, laxioris caeteroquin texturae, hanc rite concoquendi haud pollet robore, hinc cruditates, lactis coagula & ſpontaneae ingeſtorum corruptiones producuntur, chylus vitium inducit, obſtructioneſque vaſorum & glandularum meſenterii gignuntur. Dum ad mammam obdormiſcant, lac in ore ſtagnans acrimoniam aſſumit, erodit genas, fauces, linguam & ab immunditie & acredine puſtulae nunc effloreſcunt.

Quin adeo haud raro in ipſo lacte malorum fons uberrimus quaerendus eſt. Si enim mater vel nutrix rerum domeſticarum penuria laboret, libidini ſi nimis indulgeat, animique affectus gubernare neſciat: vel ſi vino aut poculis ſpirituoſis ebibendis dedita, ſi gulae non obtemperet, ſi proterva ſit, immunda aut morum turpitudine aliqua coinquinata; lac eius repente degenerat, coaceſcit craſſiuſque evadit,

Digitized by Google

atque ſic malorum cohors lactantibus per mammas tranſmittitur (*a*).

Cibus praeterea infantum tenerae aetati haud conveniens, pulmentum e farina tritici paratum neonatis ingeſtum, carnes fumo induratae; acria omnia, ſalſa, piperata intus a nutrice vel infantibus aſſumpta, inertia & deſidia corporis, motus defectus, vigiliae, animi affectus triſtes, nimiae excretiones, humores acres retenti, imminuta perſpiratio, habitatio humida & alia huiuſmodi labe multiplici corpus vitiant.

§. X.

Aphtharum medela prophylactica in genere.

Videmus iam Aphtharum cauſſas eſſe quidem multiplices, re autem vera unius tantummodo eiuſdemque generis: nempe unice ex corrupta & impura primae regionis colluvie ſurgunt (*b*). Accuſarunt aliqui acidum, quod vellicet inteſtina, & acredine puſtulas efficiat, alii bilem corruptam vel humorum alcaleſcentiam

(*a*) HARRIS de morbis acutis infantum pag. 14.

(*b*) Cel. TODE Aphthas a vomica prope ventriculum ſita, crepaturam paſſa, cuius pus membranam oris attolleret, vidit Collect. Soc. Med. Havnienſ. T. I. 1774. pag. 113.

Digitized by Google

nimiam. Videntur tamen in infantibus humores maxime ad acidum vergere, ita ut & ſudor & halitus perſpirabilis tenellorum horuncce corporum, maſſam fermentantem exprimat, & volatile quid acidulum exhalet (*a*). Quare ſi ob concoctiones vitiatas, aut minus bene confectas vel. impediatur exhalatio illa, vel cohibeatur in vaſis, tunc magis evolvitur ad acredinem uſque manifeſtam aceſcentia illa. Inde nunc tormina oriuntur, diarrhoeae virides acidum ſpirantes, a ſaliva infantum excoriatur adeo nutricis mamma & ab uno hoc fonte millena mala in aetatem teneram diffluunt. Certe itaque ab acido abundante corroſivo infantum Aphthae efflorefcunt, dum potius acris & corrupta bilis in adultis inculpanda ſit.

Res itaque ſemper ex votis cedet, ſi morbi fomitem in inteſtinis certiſſime latere perſuadere nobis potuerimus, quam meam ſententiam egregie confirmat morbi hiſtoria valde memorabilis a Cl. GRANT nobiſcum communicata (*b*), narrat enim ille Aphthas quibus omnis oris circumfe-

(*a*) LORY l. c. pag. 437. HARRIS l. c. CHALMERS on the Weather and diſeaſes of South Carolina pag. 91.

(*b*) Enquiry into the nature riſe and progreſſ of the fevers pag. 392.

rentia tegebatur, per dierum viginti & octo ſpatium ſemper vomitorio aut purgante porrecto pulſas eſſe, reverſas ſtatim, ſimulac lac aſininum, potus acidiuſculi aut cortex peruvianus praeberetur. Nimis longum foret, ſi Scriptorum plura teſtimonia heic in medium proferre vellem, quae axioma hoc corroborant: nunquam tolli morbum funditus, niſi primis viis proſpexerimus.

Primo itaque in neonatis & infantibus mundities non debet negligi. Linteamina ſaepius debent commutari, ne ſordes corporis recenti ſudore reſoluti ac per vaſa cutis reſorpti, humorum maſſam vitient. Os infantum eluendum eſt ſaepiſſime (*), quin etiam lotio cum aqua frigida ſaepius repetita egregie conducit.

Deinde cauſſae omnes removendae ſunt, quas Aphtharum eruptioni favere modo diximus. Iuſto tempore eliminetur meconium, praebeatur infantibus nutrimentum illorum aetati conveniens, nutricis bonae curae geratur; cet.

Quod ſi autem nihilo tamen ſecius anxietas, tormina aliaque ſigna appareant, quae plerumque Aphtharum eruptionem praecedere ſolent (§. IV.): tunc ſedulo examinandae ſunt

(*) Liquoris amnii guttulae ori inhaerentes in putredinem temere abeunt, hinc ſtatim a partu collutio oris minime negligenda.

cauſſae, unde ortum duxerint ſymptomata, eaeque removendae. Propinetur dein infanti potus copioſus, blandus, demulcens, vel ſi lac adhuc ducat, eo utatur mater ſive nutrix. Iniiciantur enemata leviter purgantia, & per os ingerantur remedia idonea.

Os infantis internum etiam examinandum eſt, & ſi huc vel illuc partes tenui mucilagine obductae conſpiciantur, vel punctula appareant albicantia, frequenter debet elui & abſtergi, ne cuticula in phlyctaenas elevetur.

Huic ſcopo inſeruit aqua communis tepida; vel quod maiorem uſum praeſtat infuſum ſive decoctum ſemivinoſum ſalviae cum melle iunctum, vel aqua etiam communis, qua ſacchari fruſtulum ſolutum fuerit. Alii commendarunt infuſum florum ſambuci cum melle; cet.

Solent etiam nutrices loca iſta foliis ſalviae vino vel aqua madefactis ſaepius fricare, quod utilitate omni non plane deſtitutum eſt. Morbus tamen raro penitus tolli, vel etiam praecaveri poteſt, niſi cieatur vomitus, concuſſu tenacia omnia expediturus, aut alvus moveatur.

§. XI.

Aphtharum medela curatoria.

Quibuſnam vero utamur evacuantibus, ſit

penes Auctores fides, perinde eſſe videtur. Celeb. SELLE purgantia tanquam optimum Aphtharum antidotum commendavit (*a*). Ill. VAN SWIETEN Aphthas ſaepe purgantibus adeo praecavit (*b*). Cl. BROUZET emetica purgantibus mixta extollit (*c*), & conſentientem habet STOLLIUM, qui emeto - catharſi Aphthas ſaepe etiam abſterſit (*d*). KETTELAER clyſterum uſum repetendum toties laudavit, quoties alvus ſtipata ſit, ut eluantur inteſtina & maſſas inutiles eructent (*e*). Sic Cl. ARMSTRONG in Aphthis prodeſſe dixit emetica, purgantia, antimonialia omnis generis & clyſteres (*f*).

Sed de ſingulis in ſpecie dicendum eſt. Emetica infantibus praeſcripta omnibus medicamentis reliquis palmam praeripere videntur, quando morbi fomes in ventriculo adhuc latet, & anxietas, ſingultus, ructus male olentes vel vomituritiones ipſae adſint. Non vero ſolum ideo praeferenda eſſe cenſeo; quia mali cauſſam tollant citius, ſed maxime propterea, quod minus

(*a*) Medic. Clinica pag. 113.
(*b*) L. c. pag. 299. ſeq.
(*c*) Educat. Med. des enfans pag. 106.
(*d*) Rat. med. T. III. pag. 6. T. II. pag. 167. 212. ſeq.
(*e*) L. cit.
(*f*) Acount of the diſeaſes moſt incident to children pag. 36.

Digitized by Google

debilitent quam purgantia, & tamen alvum ſimul & ventriculum exonerent.

Optimum ſeſe mihi ſemper praeſtitit vinum antimoniatum HUXHAMI, pro re nata aliquoties infantibus propinatum. Primis aetatis hebdomadibus plerumque ſufficiebant guttulae quinque ad decem atque ſatis tuto praeberi poſſunt. Menſe tertio & quarto guttulae decem vel duodecim ventriculum ſubvertunt. Quindecim vel viginti guttulae in puero trium vel quatuor annorum emeſin ſatis validam cient. Cl. SCHAEFFER ſyrupum e cichoreo cum rheo commendavit, vel tincturam rhabarbari cum oxymelle ſquillitico, quo vero nunquam uſus ſum (*a*).

Quod ſi autem emetici prima doſis fruſtra fuerit ingeſta, poſt horae intervallum iteranda erit, donec una alterave emeſis ſuboriatur. Saepe unico hoc remedio tempeſtive Aphtharum eruptionem praecavi, urgente vero iam morbo, cautione opus eſt.

Simili ratione remedia purgantia neonatorum tenerae aetati debent eſſe accommodata. Interdum adeo curationem abſolvunt penitus, quando iuſto tempore fuerint adhibita. Hinc initio ingeſta morbum ſaepe ſufflaminarunt.

Damnaverunt tamen multi eccoproticorum

(*a*) Annot. ad Cl. ARMSTRONG libell. citat.

Digitized by Google

uſum , quia hypercatharſin intra paucas horas lethalem inde natam viderant . Cavendum eſt itaque ne tunc ingerantur quando denſae imprimis haereant in inteſtinis cruſtae aphthoſae , atque haec loca cruda vel excoriata fuerint . Initio vero & in fine morbi , cruſtis aphthoſis iam deciduis & per alvum prodeuntibus , maximam utilitatem praeſtant , ut per alvum expellantur cruſtae penitus , ne diutius relictae & corruptae nova mala producant .

Laudantur autem maxime purgantia lenia , ſive lubricantia , quae ſimul roborandi vim poſſident . Optimae notae ſunt rhabarbarina , praeſertim ſi cum abſorbente quodam iungantur , quod acidum compeſcat , hac praeſcripta doſi , ut alvus aliquoties de die deponatur . Huius cenſus ſunt ſyrupus e cichoreo cum rheo guttulis aliquot olei tartari per deliquium adiectis , vel etiam tinctura rhei nupta magneſiae . Exulent abſorbentia reliqua , terrea , cet. Nec mannata placent . Habent enim id cum dulcibus commune , quod in debilioribus fermentationem facile ſubeant , qui etiam ex uſu eius tormina concipiunt , diſtenſionem abdominis ; cet.

Iuvat etiam purgantia refractis doſibus ingerere, ne ullo modo oriri poſſit hypercataharſis .

Inter haec praeſidia , enemata nequaquam negligenda ſunt . Cruſtae enim aphthoſae , den-

ſae quandoque & exſiccatae, toti primarum viarum ſuperficiei pertinacius adhaerent, debent ergo in facilem citumve lapſum diſponi, quod enematibus lubricantibus & detergentibus egregie obtinetur. Interdum adeo hiſce unice acquieſcendum eſt, quando omnis primae regionis ſuperficies Aphthis adeo obſita fuerit, ut vel deglutiri nequeat potius, vel deglutitus non poſſit abſumi per venas bibulas, ſanguinique commiſceri (*a*).

Parari autem poſſunt clyſmata haec ex decocto radicis graminis, bardanae, taraxaci, avenae excorticatae, hordei perlati, & ſimilibus, lac etiam dupla aquae copia dilutum inſigniter profuit. Si alvus nimis ſtipata ſit, acui debent enemata purgantibus remediis, ut venter aliquoties de die exoneretur.

Quod reliquum eſt, adhibeantur ea omnia, quae materiei morboſae expulſionem iuvare poſſint. Oportet enim materies ſolvente & iugi potu ſemper idonea reddi, ut evacuanti pharmaco queat obedire. Subminiſtretur itaque potus attenuans, demulcens, farinoſus, ſaponaceus. Huic ſcopo inſerviunt potus omnes calidi, ſuccus raparum expreſſus, cum ſaccharo; ſuccus dauci expreſſus, cum melle roſarum. Decoctum

(*a*) VAN SWIETEN l. c. pag. 212.

ſeminum lini cum melle ſimplici, vel roſarum, quod ſaporis gratiam concilicet, vel longo uſu probatum raparum decoctum melle edulcoratum (*a*). Prodeſt etiam teſtante VAN SWIETEN iuſculum carnis vitulinae cum oryza & rapis contritis coctum, cuius defectum ſupplere poſſunt pauperes cereviſia tenui ſaccharata. Decocta praeterea radicum graminis, taraxaci, altheae, ſcorzonerae, foeniculi, chinae, acetoſae, cerefolii, al. quibus ſuccus citri addi poteſt ut ſapori conſulatur, huc etiam ſpectant.

Cibus blandus eſſe debet, liquidus, tenuis, quando neceſſitas & conſuetudo praeter lac etiam alia alimentorum genera infanti recens nato offerre iubeant. Si vero lac ducat infans, hiſce utatur mater. Acria omnia, ſalſa, fumo indurata exulent. Et ſi lactis vitio Aphthae prodierint exulet nutrix. Infantibus matre vel nutrice orbis, qui lacte ſolo aut cibo alio penitus aluntur, his miſſis, durante morbo felici cum ſucceſſu praeſcribi poteſt decoctum avenae excorticatae nutrimenti inſtar, eiuſque vices ſupplere poteſt decoctum granorum Sagu, ſerum lactis cet. ad edulcorandum nimirum & eluendum ſanguinem.

Quandoque, praeſertim vero in neonatis

(*a*) ETTMULLER primo commendavit raparum decoctum l. c. STARKE l. c. pag. 204.

tenellis, convenit, nutrici ipſi vel matri ingerere pharmaca. Hunc in finem ſat laudari nequit pulvis nutricum ROSENSTEINIO dictus (*a*) ex magneſiae albae uncia, flavedinis corticum aurantiorum, ſeminis foeniculi, ſacchari albi, ana drachmis duabus in pulverem redactis compoſitus, quo bis, ter vel quater de die, tantum ſumere debeant, quantum cultri cuſpide capere poſſint. Egregie conducit etiam potus copioſus, humorum acrimonium involvens, ex floribus ſambuci, chamomillae, ſeminibus lini, Ptiſana cum avena excorticata, hordeo perlato, radice graminis, taraxaci, bardanae. Nec ſine fructu pulvis rhabarbari cum magneſia ipſis exhibetur, cuius vires ſimul cum lacte in infantes tranſmittuntur.

Inter haec praeſidia, remedia externa ſimul adhiberi debent, ut eo citius Aphtharum cruſtae cadere incipiant. Huc pertinent, gargariſmata, collutoria, vel linimenta, quibus illiniantur cruſtae.

Gargariſmata in infantibus nullius uſus eſſe poſſunt, nec etiam collutoria, quippe illico deglutiunt infantes, quidquid ipſis ad colluendum propinatur. Linimenta autem ex materia innocua conficienda ſunt, ut ... eorundem uſui in

(*a*) L. c. pag. 22.

tenellis locus relinquatur, leni ſtimulo partes irritare debent, ut confluxus inde oriatur humorum, & cruſtae propellantur. In hunc finem egregie conducit ſolutio vitrioli albi a Cl. ARMSTRONG commendata (*a*), qua ſummo cum fructu uſus ſum; vel etiam ſpiritus vitrioli cum melle roſarum ad gratam acciditatem uſque temperatus, quo ter quaterve ſingulis diebus loca aphthoſa illiniantur (*b*). Interdum etiam infantes linctum hunc haurire poſſunt.

Simulac autem Aphtharum cruſtae deciderunt, vel cadere incipiant, loca cruda & excoriata ſint, tunc molliſſima & blandiſſima ſola adhiberi debent. Pulcherrime dolorem lenit ſolutio gummi arabici & tragacanthae, mucilago ſeminum cydoneorum, cum aqua ſalviae, vel cum ſucco ſempervivi maioris partibus anaticis, mixta. Cl. BUEKING vitellum ovi commendavit, cremore lactis ſubactum (*c*) Ill. STARKE ſyrupum diacodii extollit, cum mucilagine ſeminum cydoneorum & aqua communi iunctum (*d*). Sic egre-

(*a*) L. c. pag. 22. Rec. Vitrioli albi grana decem ſolv. in aquae communis, vel decocti hordei perlati, avenae, rel. unciis octo.

(*b*) Cl. LIEUTAUD Prax. Med. T. VI. p. 269. aquam Rabel. inſtar Spirit. vitriol. habuit.

(*c*) L. c. pag. 206.

(*d*) L. c. pag. 187.

egregie adhiberi poſſunt etiam fomenta circa collum, balnea tepida, rel.

Si autem dolor minui iam incipit, tunc leniter adſtringentia in auxilium vocanda ſunt; ut ſenſim nimis dilatata vaſa conſtringantur. Praeſtat uſus egregius ſpiritus vitrioli, vel ſalis cum melle roſarum (*a*) - rob dianucum, diamororum cum ſpiritu vitrioli, quantum ad ſaporis gratiam conciliandam ſufficit -, ſuccus ſempervivi maioris, ſpiritus cochleariae cum ſucco citri ab Ill. STARKE laudatus (*b*). VAN SWIETEN decocto acrimoniae cum melle roſarum utebatur. Sic nuperrime a Cl. BANAV decoctum corticis ulmi commendatum eſt (*c*).

Omnium inſtar eſſe poteſt linimentum cum Borace confectum, magnis undique encomiis celebratum. Nec utilitate caret, ſi quandoque aliquot ſolutionis guttulae infantibus propinentur, quem in finem a Cl. MELLIN haec ſolutio commendata eſt (*).

(*a*) MEAD monit. & praecept. ed. a WINTRINGH. T. 1. pag. 29. commendavit etiam Elix. Aloes c. melle roſar. aceto deſt. & ung. aegytiac. mixtum.

(*b*) L. c. pag. 82.

(*c*) In Journal de Paris A. 1783. N. 255.

(*) Kinderarzt pag. 122.

Rec. Boracis venetae drachmam
Aquae rubi idaei uncias tres
Syrupi rubi idaei unciam,

qua illiniantur ſubinde Aphthae. Valde placet etiam ſequens ſolutio.

Rec. Mellis roſarum
Syrupi papaveris albi
ana unciam
Boracis venetae drachmam

ad illiniendas Aphthas. Tali ratione mira cum varietate mutari poſſunt formulae, dummodo leniter adſtringentia ſeligantur.

Quotieſcumque vero linimenta iſta fuerint adhibita, ſtatim os infantis debet elui & abſtergi, vel aqua communi tepida, vel cum ptiſana quadam ſupra memorata, ut eliminentur cruſtae, ne corruptione ſua Aphthas denuo provocent. — Atque his remediis cura plerumque Aphtharum vulgarium, benignarum abſolvitur.

Sed de ſymptomatibus, Aphthas concomitantibus nonnunquam, paucis praecipiendum adhuc ſupereſt. Si ex irritatione ſuperioris ventriculi orificii, Aphthis obſeſſi, vel ab ipſa ventriculi excoriatione ſingultus maxime moleſtus oriatur: huic malo egregie obviam itur opiatis, matri vel nutrici propinatis. Poteſt etiam ptiſanis admiſceri ſyrupus e meconio, vel papaveris

albi vel diacodii. Clyſmata iniicienda ſunt demulcentia, unde ſenſim eluantur cruſtae.

Si diarrhoeae urgeant nimiae, enematibus mucilaginoſis & involventibus hae ſiſtendae ſunt. In hunc ſcopum commendatur ſolutio gummi arabici, decoctum avenae excorticatae, al. Interdum adeo ad opiata confugere cogimur, quod tamen non temere faciendum eſt, & niſi ſumma urgeat neceſſitas. Solent enim diarrhoeae iſtae ex nimia ſordium acrimonia ut plurimum originem trahere, quae ſi cohibeatur in corpore; plura adhuc & graviora inde ſymptomata oriantur neceſſe eſt. At ſi vitalis urgeat indicatio, tunc praeſcribatur matri ſeu nutrici, laudanum liquidum SYDENHAMI, vel quod praeferendum, opium crudum. Infantibus etiam ſyrupus e meconio, vel papaveris albi praeberi, vel enematibus admiſceri poterit.

Salivatio modum etiam quandoque excedit, facile tamen compoſci poterit, ſi neglecta ſupra commendata adſtringentia iterum adhibeantur. Quod etiam praeſtat decoctum herbae ſalviae, veronicae, acrimoniae, caet. cum melle roſarum & aliis, quae huius cenſus ſunt.

§. XII.

Eadem medendi ratio ſervanda eſt quando

alii morbo Aphthae ſupervenerint. Sic accedunt dyſenteriis diuturnis, ecclampſiae, convulſivis motibus & dentioni difficili, ſolent tum plerumque magis intendi ſymptomata, urget febricula, & materiae morboſae maior eſt malignitas. Praeſagium maxime deſumitur ex morbi duratione & aegroti viribus. Caeterum medendi methodus manet eadem, ut ulteriori huius tractatione ſuperſedere poſſim.

SECTIO II.

DE

APHTHIS COROTROPHEORUM ORPHANOTROPHEORUM ET NOSOCOMIORUM MALIGNIS.

§. XIII.

Aphthis infantum generatim iam expoſitis prout vulgo ſolent occurrere, cauſſiſque earum, ſymptomatibus atque indicationibus curatoriis ſeorſim ponderatis, perpendenda ſupereſt ſpecies Aphtharum altera, *maligna*, Corotropheis, Orphanotropheis & Noſocomiis pernicialis.

Morborum infantilium imprimis autem Aphtharum Scriptores fere omnes, malignam hanc

Aphtharum ſpeciem ſilentio plane praetereunt. Artis obſtetriciae Scriptores, qui ſimul infantum morbos pertractarunt, etiam ſilentio uſi ſunt, ſi unum excipiam LEVRETUM Galliae olim ornamentum (*a*).

§. XIV.

Solet plerumque haec Aphtharum ſpecies maligna intra Noſocomia, Corotrophea & Orphanotrophea maxime contineri. In Corotropheis Pariſinis RAULIPO teſte *endemice* graſſatur (*b*); ut adeo mirum non ſit in hac Aphtharum ſpecie, mala omnia ſupra enarrata iunctim reperiri (§§. V. VI. VII.).

Morbus plerumque paucis poſt partum diebus ingruit. Primo os neonatorum internum ſenſim ſenſimque palleſcit, diu noctuque vagitus edunt tenelli & querimonias, contabeſcit totus corporis habitus, flacceſcit cutis. Siti miſere excruciantur, tormina oriuntur, vomituritiones & ructus acidum redolentes. Adſunt diarrhoeae continuae, aquoſae, interdum autem virides,

(*a*) Obſervat. ſur l' allaitement des enfans. Journal de Médecine Vol. XXXVII. pag. 46. ſeq.
(*b*) Traité de la Conſervation des enfans T. II. pag. 276.

odorem acidum vel foetidum ſpargentes. Interea febris & calor intenditur, pulſus frequens eſt, motus interdum convulſivi ſuperveniunt, atque nunc a labiis incipiunt tumores albicantes, inaequales in veras puſtulas quandoque abeuntes, uvulam, gingivas, linguam, palatum, fauces, tonſillas, gulam, aſperam arteriam totumque inteſtinorum tractum depaſcentes. Quin adeo ab eroſione faecium, circa anum, inventae ſunt puſtulae Aphthis ſimillimae. Vidi etiam nutricis mammas Aphthis obſitas fuiſſe, & eroſas. Tandem in ſquamas decidunt, atque morbus ut plurimum intra duas vel tres hebdomades terminatur (*a*) ſi naturae ſit relictus.

§. XV.

Aphtharum malignarum criteria.

Aphtharum ſymptomata, eruptionem praecedentia, maioris ſunt momenti & numeroſiora. Denſo ſimul agmine prorumpunt Aphthae. Co-

(*a*) DOUBLET Mémoire ſur les ſymptomes & le traitement de la maladie vénérienne dans les enfans nouveaux nés; a Paris 1781. pag. 18.
COLOMBIER Obſervat. in l' Hiſt. de la ſocieté Royale de Medecine A. 1779. a Paris 1782. pag. 18.

lor ut plurimum flavus eſſe ſolet, opacus vel brunus. Facile concreſcunt, duro cortice omnia obtegentes hinc etiam intenſiora ſunt mala inde oriunda, ſupra iam (§. VI.) a me tradita. Si tandem decidant cruſtae, illico novae renaſcuntur adhuc denſiores. Mala remanent omnia v. c. tormina, ſingultus, anxietas. Sexies ſeptiesve denuo emergunt, unde macies corporis, facies hippocratica, meteoriſmus & mors denique ſupervenit.

§. XVI.

An contagioſae ſint & criticae?

Solet plerumque haec Aphtharum ſpecies maligna, contagioſis morbis adnumerari. Obſervatum enim eſt, graſſari illas epidemice, & per Corotrophea undique diſpergi; hinc facta concluſio, contagioſam eſſe eius indolem: quod tamen in dubium vocandum eſſe arbitror.

Si enim ſigna Aphtharum benignarum malignarumve eruptionem indicantia, & ſocia ſymptomata rite examinemus, iam eluceſcit Aphtharum ſpeciem utramque unice in eo differre a ſe invicem, quod materies peccans acrior facta, vel etiam maiori copia in Aphthis malignis adſit, quam plerumque in Aphtharum ſpecie vul-

gari eſſe ſoleat . Hinc intenſiora omnia . Iam vero experientiae res eſt , Aphtharum ſpeciem vulgarem unice ex primarum viarum ſaburra provenire & contagioſam non eſſe , quid miramur ergo in Corotropheis , Orphanotropheis & Noſocomiis , quae praegrandem infantum numerum continent , quibus una eademque vitae ratio , bona & mala communia ſunt , morbus etiam communis (epidemicus) ex una eademque cauſſa natus ſuboriatur ? Sunt enim Aphthae hae malignae , ſupra iam deſcriptis adeo ſimiles , ut contagioſis morbis adnumerari plane nequeant .

Simili ratione Aphthae hae malignae criticae vocari nequeunt . Sunt enim puſtulae in ore efflorefcentes effectus materiei cuiuſdam in ventriculo & inteſtinis haerentis , cauſſam ſi tollamus ceſſat etiam effectus . Ex ſimili materiali cauſſa morbi varii proveniunt , quis vero unquam hos omnes vocabit criticos ? Nulla in hoc abdominalium morborum genere criſis oriri debet , nec oriri poteſt , quando mali cauſſa in primis viis haerens , evacuantibus remediis tempeſtive exturbatur , ſimulac in corpus agere incipiat . Sin autem haec evacuantia , vel inſcitia medentis , vel perverſa medendi ratione , neglecta fuerint , vel adeo incongruis remediis ſordes cohibitae ſint : tunc praepoſtere materies acris a natura per ſudorem & urinas expellitur , & pro-

rumpunt huc illuc puſtulae quae malo ſane nomine criticae vocantur, atque morbus protrahitur, evacuantibus remediis iuſto tempore adhibitis brevi debellandus. Sic in Aphthis mali fomes latet in corpore ſanitati ſtruens inſidias, ſi recipiatur ab humoribus & cum ſanguine circumvehatur, non levatur aegrotus, verum intenditur morbus, & peiora ſiunt omnia.

§. XVII.

Aphtharum malignarum cauſſae variae.

Si itaque experientiae conſentaneum eſt; Aphtharum cauſſam generalem in impura primae regionis colluvie unice latere (§. VIII.); ſi verum eſt, ſymptomata fere omnia, quae malignas Aphthas comitari ſolent (§§. XIII. XIV.) anxietatem ſcilicet, ſomnolentiam, ſitim, diarrhoeas foetidas & alia plane eſſe eiuſmodi, uti vulgo in febribus obſervantur, quae ex primae regionis vitio naſcuntur: quid amplius dubitamus, Aphthas has malignas in morborum gaſtricorum numerum referre, Aphthaſque has gradu tantummodo a vulgari Aphtharum ſpecie diverſas eſſe.

Quae itaque de cauſſis Aphtharum in genere ſupra iam prolata ſunt, haec etiam de his Aphthis malignis valent. Cauſſae eaedem ſub-

Digitized by Google

ſunt, modo altius latere ſolent, & quod magis dolendum eſt, in Corotropheis difficulter removeri poſſunt. Caeterum omnes ſunt eiuſmodi ut primarum viarum acrimonia ſeu colluvies, inde naſci poſſit. LEVRETUS olim primae regionis ſaburram unice pro cauſſa agnovit (*a*). Cl. COLOMBIER aërem corruptum morbum producere ſuſpicatus eſt, cet. Non vero una ſaltem cauſſa vel altera Aphtharum eruptioni favet, ſed plures ſimul conſpirant, quod ex vitae ratione in Corotropheis & Noſocomiis conſueta facile eruitur.

I. Miſera vetitae libidinis progenies in Corotropheis ſuſcepta, coloſtro fere ſemper caret, quod inteſtinorum tractum a ſordibus in utero collectis liberet (§. IX.). Nutricis lacti deeſt maior partium aquearum quantitas & teneritudo, quae recens natis maxime prodeſt, hinc lac illud quod a natura parentis tantopere diſtat, a debiliore neonati ventriculo nequit concoqui, & optimum uni alimentum alteri peſtiferum evadit.

II. In Corotropheis & Noſocomiis, Nutricis etiam delectus ſeverior haberi nequit. Docuit enim experientia, nullum eſſe morborum genus cuius cauſſa in tota humorum maſſa latet, quod

(*a*) Journal de Médec. T. XXXVII. l. c.

cum lacte tenellorum corporibus communicari nequeat. Acrimoniarum ſane omnis generis, miaſmatum, contagiorum, venenorumque per lac propagatorum exempla abunde obſervata ſunt. Et quis eſt, qui valeat enumerare mala infantibus e nutricibus metuenda (*a*)!

III. In Corotropheis quandoque nutrix una duobus vel pluribus adeo infantibus lac praebet, non ſine maximo unius cuiuſque detrimento. Quidquod infantibus, ob nutricis defectum, brutorum lac non raro propinatur. Hinc cum lacte ſaepe malorum primordia infantum corporibus ingeruntur.

Magna praeterea malorum cohors ex vitio alicuius rerum non naturalium in teneram aetatem redundat. Morbi enim qui cutem deſpaſcuntur fere omnes, ab excretis, & praecipue a retentis pendent. Infantum pori cutis patuli undequaque ſpirant, & vaporem exhalant paſtae fermentatae aemulum, ut infantum cubatorum vicinior atmoſphera tota repleatur (*b*). Quare etiam in infantum diverſoriis niſi munditi es ſumma

(*a*) ASTRUC Traité des maladies des femmes T. VI. pag. 182. ſeq. MAURICEAU. III. c. 33. DESESSARZ, ROSENSTEIN & alii, qui ea, quae in delectu nutricis obſervanda ſunt, docuerunt.
(*b*) Quod etiam obſervarunt Cel. LORRY l. c. pag. 271. & RAULIN l. c. pag. 282.

adhibeatur acidum fermenteſcens oculos vellicare, nares ferire, & reſpirationem inhibere valens ſpargitur, & diffunditur undique. Mundities ſimiliter neglecta, habitatio in locis humidis, uliginóſis, inſalubribus, & quotquot circa liberorum educationem, atque res non naturales committi poſſunt vitia, Aphthas benignas malignaſve ocyus ſerius provocant.

§. XVIII.

Aphtharum malignarum medela prophylactica.

Praecaventur autem Aphthae malignae certiſſime, dummodo vitia hactenus enumerata ſedulo caveantur. Quoties itaque in Corotropheis & Noſocomiis infantes recipiantur, his ſtatim colluvies impura ſubducatur. Neonatis praebeatur lac nutricis paullo ante enixae (ſi deficiat mater), quod ad naturam parentis proxime accedit.

Quod ſi autem lacte animalium penitus alendus eſſet infans, tunc eligatur lac, quod quam proxime humano veniat. Evicit variis tentatis experimentis b. SPIELMANN (*a*) lac aſininum

(*a*) Diſſ. de optimo infantis recens nati alimento §. XX. pag. 32. Conſultation de la faculté de

Digitized by Google

infanti eo magis conducere, quo minus ipſe a partu diſtet. Lac aſininum, ſequitur id, quod equae fundunt, cum autem hoc, pinguedine humano cedat, eodem plus caſei vehat, hinc e bruto obeſiore & citius a paſtu eſt mulgendum. Lac autem, quod ex vaccis & reliquis animalibus deſumitur, infanti minus bene exhibetur, quorum unumquodque eo eſt deterius, quo plus vehit ſive pingues ſive caſeoſas partes, nutritioni teneri infantis ineptas, & per vires eius digerentes non attenuandas. Interea cum lac equinum atque aſininum non raro deficiat, cogitandum erat itaque, quibuſnam demum ſubſidiis lac vaccinum, vel caprinum, vel ovinum emendari queat atque corrigi, quod experimentis ſuis perfecit SPIELMANN. Is enim docuit amygdalas dulces cum lacte emulſas, quibus dein aqua affunditur, optime pinguedinis & caſei abundantiam in lacte animalium corrigere, atque vires deficientes lactis materni in nutriendis infantibus optime ſupplere.

Alimenta etiam, quae praeter lac infantibus offerri poſſunt, naturae illorum eſſe debent accommodata. Loco farinae crudae, recipiatur pa-

Médecine de Paris en faveur des enfans trouvés de l' hopital d' Aix en Provence in le Roux Journal de Médecine T. XLIV. pag. 307. ſeq.

nis bene coctus, ad conſiſtentiam pultis redactus. Sedulo tamen caveatur, ne ſordibus conſpurcata, aut in fermentationem iamiam abeuntia alimenta tenellis committantur. Impium ſane officium infantibus nutrices praeſtant, quod comminuant in ore cibos atque tepefaciant, priuſquam eos neonatis porrigant. Cibus etenim ſaliva vetulae talis, & reliquiis ciborum in putredinem iamiam abituris, dentium carie praemorſorum arroſorumque ſqualore mixtus, lentum his venenum tradit, quo magis alienae foeminae corruptam & ſuſpectam vitam degentes hoc officio fungantur.

Ante omnia vero munditiei ſtudeant nutrices. Inquiratur quam ſaepiſſime quaenam ſit illarum vitae ratio? an labe aliqua inquinatae ſint? cet. Si ex vitio quodam lactis nutricis laboret infans, exulet nutrix. Cavendum erit etiam, ne intempeſtivo tempore lac ducant infantes (§. IX.) neque ad mammam obdormiſcant.

Abluantur frequentiſſime infantes, atque os aliquoties de die eluatur. Munda ſint lintea-mina, lectulique, & bene ſicca omnia.

Pateat aëri ubique in infantum diverſoriis acceſſus liberior, hinc valdopere commendandus ventilatorum uſus. Aperiantur de die feneſtrae, & effluvia impura corrigantur ſuffimentis aromaticis, vel etiam pulvere pyrio carbonibus

Digitized by Google

immiſſo, cuius uſus certe eſt egregius. Caeterum obſerventur ea omnia, quae ſupra iam allata ſunt praeſidia.

§. XIX.

Aphtharum malignarum medela.

Quod ſi autem morbo iam laboret infans; a reliquis ſtatim ſegregandus erit. Decumbat in conclavi ſicco, bene mundato quod aër purus ambeat; mutentur linteamina ut ſicca omnia & bene munda ſint. Dein inquiratur, quaenam cauſſa morbi ſubſit, eaque ſtatim removeatur. Si nutrix inculpanda ſit, ſeligenda erit altera, vel brutorum lacte, aut cibo alio alendus infans.

Nunquam tamen proſperum effectum aſſequemur, niſi infantum abdomini proſpexerimus. Id ſane ſignum erit certiſſimum impuritatum in abdomine haerentium, quod enatae ſint Aphthae. Quotieſcunque itaque ex debili ventriculo vel pravae diaetae vitio colluvies impura orta, aut meconii evacuatio neglecta ſit, ea ſtatim debet aggredi. Egregium uſum praeſtat pulvis rhabarbari cum magneſia, nutrici ingeſtus, cuius uſu Aphthas vere malignas unice debellavit ſagaciſſimus TODE (*a*). Convenit etiam infanti-

(*a*) Bibliothec. Medico-Chirurgic. T. VI. pag. 7.

bus ſyrupus e cichoreo cum rheo ; vel ſi aetate provectiores ſint, tinctura rhei cum magneſia, ut aliquoties de die alvus ſecedat. Mirifice prodeſt etiam pulvis nutricum ROSENSTEINII ſupra iam praeceptus, cuius certe egregii effectus teſtis toties evaſi, ut ſatis commendare nequeam, quotieſcunque torminibus corripiantur infantes, vel diarrhoeis aut affectu quodam alio laborent, licet Aphtharum metus non adſit.

Subminiſtretur dein nutrici potus copioſus, blandus, materiei acrimoniam demulcens. Cibo utatur tenui, neque ſalſo neque acri. Vitet omnia, quae in tenerum neonatorum corpus ullo modo agere poſſint.

Enemata praeterea nequaquam negligenda ſunt. Quin adeo in hac Aphtharum ſpecie maligna omnibus reliquis remediis praeſtant. Relaxant enim fibras inteſtinorum, humectant corpus, tenacius meconium diluendo, acrimoniam involvunt, atque mali fomitem leniter ſubducunt (§. XI.).

Si nimis diarrhoeae urgeant, aut faecum acrimonia partes erodantur, purgantia remedia non niſi ſumma cautione tentanda ſunt. Praeſtat potius enematibus ſolis uti, ex decocto mucilaginoſo paratis. Nutrici detur potus copioſus, demulcens, & aliquoties de die pulverem nutricum ROSENSTEINII capiat. Opiata plane nunquam admittenda ſunt. Si

Si alvus nimis praeclufa ſit, enemata acui poſſunt vel tinctura rhei, vel purgante alio, ut rite ſecedat.

Optimum infantum nutrimentum lac eſt. Si autem infans nutrice careat, propinetur illi potus copioſus, blandus, ex ſeminibus Sagu, avena excorticata, rel. paratus. Si vero tota oris capacitas Aphthis obſita fuerit, ut deglutire nequeant infantes, enemata ſola, balnea tepida, omniſque generis fomenta adhibenda ſunt.

Ut vero cito ſecedant cruſtae, ſaepius linimento quodam illiniri debent, cui detergendi vis ineſt. Optimi uſus eſt linimentum, quod vitrioli ſpiritum vel boracem recipit. Caeterum omnia ſupra iam laudata huc pertinent, eademque encheireſi adhibenda ſunt.

Quandoque etiam in hac Aphtharum ſpecie maligna evenit, ut liveſcant, vel nigreſcant adeo cruſtae, atque in putredinem abire minentur. Huic malo optime medemur evacuantibus remediis tempeſtive adhibitis. Si vero haec neglecta fuerint, & gangraenae vel putredinis metus iam immineat, eluatur os infantis ſaepiſſime decocto corticis peruviani cum borace, vel infuſo rutae, ſerpentariae, ſalviae, contraiervae cum ſpiritu vini camphorato, ſpiritu vitrioli, ſalis, melle roſarum, alumine & aliis. Nec ſine fructu haec per alvum iniiciuntur.

Probum etiam effectum praeſtabit aër fixus. Reliqua ſymptomata, ſingultus ſcilicet, ſalivatio modum excedens, & alia, ſupra iam praecepta methodo compeſcenda ſunt.

§. XX.

Iam vero per ſe patet, convenientem haud quaquam eſſe methodum, a viris quibuſdam, caeteroquin egregiis, propoſitam. Aphtharum nempe malignarum curationem veſicatoriis & cardiacis aggrediendam eſſe. Quod ad veſicatoria attinet, haec morbi genio nequaquam reſpondent, ut damna taceam, quod etiam de cardiacis valet. Sunt enim haec cardiaca optima, quae morbi cauſſam tollunt, caetera damnanda ſunt.

§. XXI.

Aphthae venereae, ſcorbuticae.

Maxime perniciales neonatis ſunt Aphth..., quae affectibus ſyphiliticis connatis, aut per baſia ſuſceptis ſuperveniunt. Solent tunc longe lateque ſerpere ulcuſcula, mulco albo vel griſeo obductae, cum foetore oris, & ſi diutius durent, cum vomeris oſſiumque vicinorum eroſione iunctae. Interdum morbi indoles non temere eruitur. Si autem perſpecta ſit, tunc antiſyphilitica, fumigationes ex hydragyro aliaque adhi-

benda ſunt. Primarum viarum ſimul ratione habita, Cl. COLOMBIER ad eluendas illiniendaſque Aphthas mercurii ſublimati ſolutionem commendavit (*a*). Nec ſine fructu erit decoctum mercurii vivi cum aqua communi. Forſan etiam decoctum corticis Pruni padi LINN. a Cl. BIORNLUND nuperrime in lue venerea laudatum (*b*) in Aphthis venereis inſtar linimenti, ſeu collutorii proderit? quod ulteriori tamen experientiae relinquo.

Si ex diatheſi quadam corporis ſcorbutica Aphthae malignae prodierint, quod ex foetore oris, ſtomacace, colore livido, aliiſque ſignis patet, quae ſcorbuticam diatheſin indicant, remedia antiſcorbutica, cum evacuantibus iuncta ſperatum praeſtabunt auxilium.

Sic evacuantia locum ſemper obtinent quando miliaria, petechiae, cruſta lactea, aliaque Noſocomiorum mala domeſtica Aphthis ſupervenerint, ut ingenioſiſſimum ſit, ab Auctore quodam anonymo propoſitum aſſertum, quo cauta primarum viarum evacuatione id impetrari poſſe ipſi videtur, ut exanthemata in genere, mor-

(*a*) L. c. pag. 181. DOUBLET l. c. Conſultat. de la faculté de Médecine a Paris in Le ROUX Journal de Méd. T. XLIV. pag. 311. MAURICEAU l. c. Ar. 34. FABRE al.
(*b*) In Act. ſuecicis Vol. V. pag. 213.

bique cutanei rariora, mitiora, deſquamatio levior, perſpiratio liberior, omneſque morbi ſuccedanei exules futuri ſint (*a*).

SECTIO III.

DE

APHTHIS ADULTORUM.

§. XXII.

Superſunt Aphthae adultorum (*b*). In adultis Aphthae febres ut plurimum ſequuntur continuas, putridas vel intermittentes (*c*) praecipue febres auctumnales, quae cum diarrhoea & dyſenteria incipiunt (*d*), imprimis, ſi aegroti calido regimine fuiſſent uſi, vel materiae peccantis evacuatio adſtringentium uſu intempeſtivo foret impedita, non prius per cathartica educto morbi fomite.

Febribus gaſtrico putridis adiunctas vidit Aphthas FANOIS (*e*); febribus intermittentibus malignis VAN DEN BOSCH (*f*) febri quartanae

(*a*) In Ill. BALDINGERI neuem Magazin. St. 1. 1779. pag. 29.
(*b*) *Aphtha febrilis* SAUVAG. Spec. 1. SAGAR Sp. 3. *Febris Aphthoſa* SELLE Pyretol. p. 228.
(*c*) VAN SWIETEN l. c.
(*d*) SYDENHAM Oper. Sect. IV. c. 3. p. 222.
(*e*) In HALLERI Collect. T. V. pag. 205.
(*f*) Hiſt. conſtitut. epidemic. verminoſ. pag. 80.

atque tertianae erraticae GRANT (*a*) Dyſenteriae malignae HILLARY (*b*); febribus nervoſis lentis HUXHAM (*c*); febri lentae gaſtricae SIMS (*d*); febri epidemicae Culemburgenſi KLOECKHOF (*e*); febribus putridis UNTZER (*f*). Sic etiam haemoptiſi phthiſi, peripneumoniae, hydropi & febribus hecticis ſe adſociant. Vidit tamen KETTELAER caſu rariſſimo, Aphthas ſine ulla febre efflorеſcere, aegrotoſque ab omni gravi malo immunes, quod Ill. VAN SWIETEN in puella contigit etiam, quae praeter deglutitionem difficilem, moleſtiam plane nullam paſſa eſt.

Interdum epidemice adeo graſſantur, quod in febre Culemburgenſi vidit KLOECKHOF, & Ill STARKE obſervatione demonſtravit.

Incipiunt autem eodem modo, uti in infantibus, niſi quod vehementiora & numeroſiora praecedant ſymptomata, quae recens nati verbis exprimere haud valent: qualia ſunt nauſea, anxietas perpetua, ingens dolor & pondus circa praecordia, ſenſuum hebetudo, ſtupor, querela de pondere & dolore circa ſtomachum, al. Aphthas malignas magna praecedit & ſubitanea debi-

(*a*) L. c. pag. 324. 25.
(*b*) Diſeaſes of Barbadoes pag. 86.
(*c*) Opp. T. I. pag. 175.
(*d*) L. c. pag. 184.
(*e*) Opuſc. Medic. pag. 487.
(*f*) L. c. pag. 220. ETTMULLER Prax. Med. Part. II. l. c.

litas viriumque proſtratio, ſingultus & deliria, tunc etiam ſenſim ex oeſophago aſcendere ſolent, os non ſolum implent, ſed etiam aſperam arteriam, quin adeo in cavo narium illas obſervavit Ill. STARKE (a), VAN SWIETEN Aphthas in viro ſexagenario deprehendit, & in ſexagenaria foemina Cl. GRANT, cum peripneumonia ſpuria ſociatas.

§. XXIII.

Prognoſis generalis.

Prognoſis plerumque ex morbi indole & aegroti viribus pendet. Hinc ſaepe triſtiſſimi ominis ſunt Aphthae, quae poſt reſoluta corpora per febres, diarrhoeas & dyſenterias diuturnas erumpunt. Hinc in effoeto corpore, ubi humores iam lenteſcunt & aegroti vires languent, poſt ſudores diuturnos, & in ultimo phthiſeos ſtadio vitae diſcrimen adducunt. Mali omnis eſt etiam quando poſt eruptionem febris recurrat, pulſus parvus ſit & celer, nec ciborum appetentia reddeat.

§. XXIV.

Aphtharum medela.

Aphthae adultorum eadem ratione ex cruda

(a) L. c. pag. 174.

& impura ventris colluvie proveniunt, hinc catharſis etiam vel emetocatharſis ad eas profligandas requiritur.

Reſpicienda tamen eſt morbi indoles cui ſupervenerint. Si febri putridae acceſſerint: cathartica caute inſtituenda ſunt, proſunt potius antiputredinoſa, & remedia alia morbi genio accommodata, evacuantibus iuncta. SYDENHAMUS febrim epidemicam cui Aphthae ſe adſociarant, cortice peruviano debellavit. Ceciderunt cruſtae ſimulac febris remitteret (*a*). Sic VAN SWIETEN aegrotis debilibus felici ſucceſſu decoctum corticis peruviani exhibuit. Si febri inflammatoriae ſupervenerint, venaeſectio, aliaque antiphlogiſtica in auxilium vocanda erunt.

Ne longus ſim, omnis generis remedia quae morbum ſubvertere valent, Aphthas pellent etiam, neque mirum eſt, cum per ſe raro in adultis morbum conſtituant, ſed plerumque ſymptomatice accedant. Raro itaque in adultis criticae habentur. Non enim morbum iudicant, ſed potius ad *criſes metaſtaticas* pertinent & periculum portendunt. Caeterum, omnia ſupra iam praeſcripta remedia interna & externa non negligenda ſunt: quae heic loci denuo enumerare propoſiti mei ratio vetat.

(*a*) Schedula monitoria de novae febris ingreſſu pag. 657.

Quod ſi autem decidant Aphthae, alimenta & remedia acria, nimis irritantia ſedulo cavenda ſunt, ne ventriculi inteſtinorumve inflammatio & exulceratio lethalis ſubſequatur. Caveant etiam ne aëre vel potu frigido ſtringantur vaſa, atque ſic tumor & angina periculoſiſſima denuo naſcatur.

In puerperis HIPPOCRATES valdopere damnavit Aphthas, & abortus praenuncium habuit (*a*). Videtur quidem citato lobo intellexiſſe pudendorum ulcuſcula, quae ob irritationem forſan dolores partus provocare, & ſic periculum abortus inducere poſſint. Semper tamen in puerperis timendae ſunt. Impeditur enim alimentorum praeparatio & reſorptio, atque chyli defectus brevi funeſtus erit foetui. Nec deficiunt exempla puerperas Aphtarum morbo extinctas eſſe.

Reliqua ſymptomata, ſingultus ſcilicet, diarrhoeae, lienteria aliaque, remediis ſupra iam laudatis mitiganda ſunt.

Finis Quinti Voluminis.

(*a*) Coac. praenot. §. 450.

Digitized by Google

Digitized by Google

00564232 7